

Συν' Ἰεω' καὶ υἱῶ.

FUNDATIONIS AC INITIATIONIS
SCHOLÆ INCLITÆ,
QVÆ EST IN LIB. ET IMPER. REP. MULHUSINA,

FESTIVITAS,

QVA QVÆSTIO
NEC VANA, NEC INAMOENA:

An omnia & singula animalium genera, quæ hodiè repe-
riuntur, in arcâ Noë fuerint comprehensa?

A DISCIPULIS
GYMNASII Ejusdem,
in utramque partem discussa;
Mox verò

à
GEORG. ANDREA FABRICIO, PHIL. MAG.
Poëta Cor. Cæs. Gymnasiarcha,

è fundamentis Theologicis, Physicis, Geometricis, Geographicis,
Historicis variè illustrata & penitus decisa fuit,

ANNIVERSARIA PANEGYRI CELEBRATA
XXVII. MAI.

ANNO JUBILAEI EVANGELICI
MDCCCXXX.

MULHUSII, prelo ac typis Stangianis.

ΣΤΝ ΘΕΩ!

FESTI SCHOLASTICI
ANNIVERSARII

TEMPUS ADPROPINQVAT,

Ad diem prox. Jovis, XXVII. Maji Juliani:

QVI DIES NOÆ EX ARCA EGRESSU NOBILIS,
SCHOLÆ NOSTRÆ NATALIS,

*quâ foundationem, quinquagesimus secundus;
quâ initiationem, quinquagesimus.*

Fac DEUS ut lætus nobis appareat, ut sit
solemnis plures, si perstat mundus, ad annos!

Itaque

Pro more & instituto,
quæ agere convenit, agentur.

Nimirum

Præmissâ Musicâ Figurali, & Lectione Capp. Genescos
VI. VII. IIX. IX.

QVÆSTIO

agitabitur:

An omnia & singula animalium genera, quæ hodiè
reperiuntur, in arcâ Noæ fuerint
comprehensa?

De quâ VELITATIONEM & PROGYMNASMA
quoddam facient DISCIPULI:

Christo-

Christophorus Urbach Mulhusinus, prælibatis generalibus,
rationes dubitandi in medium adducet, & pro ne-
gativâ sententiâ concludet.

Johannes Sidelius Colledanus affirmativam, fundamentis
è S. Scripturâ potissimum petitis, adferet.

DECISIONEM VERO ACCURATIOREM
M. GEORG. ANDREAS FABRICIUS, POET. COR. CAES.
GYMNASIARCHA.

ex Principijs Theologicis, Physicis, Geometricis, Geographicis,
Historicis variè stabilitam aut illustratam,
subjiciet;

institutum hoc ad SCHOLAM breviter applicabit,
eandemq; DEO propitio commendabit.

AD QVAM PANEGYRIN,
ad dict. diem, horam VII. mat. in auditorio novo
celebrandam,

Omnium Ordinum Litteratos in Imperiali & incl.
hac Republ.

idem,

submissè, officiosè, benevolè,
sub hostimenti promisso,

invitat & vocat.

Mulhusi P P. Solemn. S S. Trinitat. Anno M. DC. XXX.
Confessionis Augustanae Sacratiss. Roman. Imperat. Carolo V
oblatæ centesimo, Jubilæo primo.

EX SENATORIO ORDINE
IMPERIALIS REIPUBL. MULHUSINAE
VIRIS

AMPLISSIMIS, CLARISS. CONSULTISSIMIS
Spectatissimisq̄,

Dn. CHRISTIANO OHEMIO, J. U. DOCT.
ejusdem Reipubl. CONSULI Magnifico.

Dn. CHRISTOPH. *Breiting*/ PRÆTORI gravissimo.

Dn. JOHANNI *Xindlen* / J. C. o, Scholarchæ & Am-
pliss. Consistorij p. t. PRÆSIDI dignissimo.

Dn. JOHANNI MOLLENFELDT, J. U. Cand.
Rei Agrariæ INSPECTORI vigilantissimo.

*Euseyis, Mæcenatibus ac Favoribus suis, singulari observan-
cia & honoris cultu suspiciendis,*

EXIGUAS HAS STUDIORUM
PRIMITIAS

*Eâ, quâ decet, animi submissione & reverentiâ,
humillimè*

Dedicat, offert

CHRISTOPHORUS *Wrbach* Mulhusinus.

F *Autores summi, tenuem ne spernite Musam.
Offert, quæ potuit; post meliora feret.*





Συὺ Ἰωὺ ἔνω.

ORATIO PRIMA.
PRO NEGATIVA SENTENTIA.
habita

à

CHRISTOPHORO Urbach MULHUSINO.

SI FORSAN, Viri Reverendi, Clarissimi, prudentiâ, autoritate Senatoriâ, longoque usu rerum Amplissimi ac Præstantissimi; Vos item Auditores alij doctissimi, humanissimi, Tuque discen-
tium Concio lectissima, si forsan, inquam, animos vestros admiratio capit, quod nos in tam splendidâ coronâ & amplissimo omnium Ordinum virorum doctissimorû consessu & aspectu ad dicendum surrexerimus; aut si forsan indignamini & in sinistram interpretamini partem, quod nos tyrones adhuc & discipuli, ingenij facundiâ copiosâq; dicendi facultate minimè instructi, tantorum auditorum auribus quicquam vel dignum aut utile, gratum aptumvè proferre, dignisq; verborum floribus & coloribus, Rhetorum more, ornare aut depingere præsumamus, non id valde mirum vel nobis ipsis vel alijs accidere poterit. Antea enim hoc tempore, hac, inquam, à piâ & venerandâ antiquitate institutâ, & in hunc usq; diem, laudabili consuetudine conservatâ & continuatâ festivitate Scholasticâ, ex hoc loco, non isti, qui adhuc literarum audiunt Magistros, assurrexere, sed tales omninò, qui etate grandiores, autoritate & vultu augustiores, cum ingenio, tum eruditione præcellentiores & clario-

A 3

res

res essent, Praeceptores videl. ipsi. Hi n. ex hoc loco festivitatem
dignè ornare & depraedicare hodiernam, ut visi sunt mihi; ita
& commodissimè & rectissimè potuerunt. Quin imò non raro
viri Reverendi & divina scientiâ politissimi, quibus summus
& prapotens ille Deus populum & Ecclesiam suam colligendi,
aedificandi & propagandi munus curamq; injunxit, ex hoc loco
in anniversariâ hujus Scholæ nostræ festivitæ, ad auditores
sermonem habuerunt; ad unum omnes certè viri in omni do-
ctrinarum genere excellentissimi, multarum rerum cognitione
prudentissimi, sapientiæ nomine præstantissimi, clarissimi.
Quanquam autem æquum fuisset, nos ipsos modulo ac pede no-
stro metiri, linguas nostras continere, ora obturare, hac solenni
temporis festivitæ non prodire, non publicè declamare, sed
alios potius, quorum

de meliore luto finxit præcordia Titan,
audire, nec ad istos è Cathedrâ longum pertexere sermonem, ne
πολυβούλων illud fortè audiremus ὡς Ἀδινύω: attamen, Audi-
tores benevoli, hoc à nobis factum & susceptum fuit, non teme-
ritate quadam, neq; proprio casu & voluntate, sed Praeceptoris
nostri, omni observantia & obedientia cultu aeternum veneran-
di jussu, cujus nos industriam stimulum, doctrinam subsidium,
auctoritatem exemplum habemus; hic nos instigavit, hic volu-
it, hic jussit, hujus voluntatem & mandatum, quo nihil nobis
antiquius, suavius, acceptius accidere potest, lubentes exsequi-
mur, huic inobedientes esse vel pertinaciter repugnare, nec de-
buimus, nec potuimus, nobiscum perpendentes

--- quàm sit grande nefas & morte piandum,

si juvenis non exsequitur mandata Magistri.

Atq; ecce non longè à latere nostro abest! en ipsum in superiori
cathe-

cathedrâ constitutum, unde non minus quam antè, suâ hanc festivitatem oratione decorabit, eiq; gratum colophonem imponet. Id ergò in quo nos non sufficimus, vel ad scopulos impingimus, id, inquam, ipse dexteritate & prudenti suo judicio facillimè corriget, resarciat, reparabit. Itaq; à vobis, Auditores, omnibus, qui corporibus presentes adestis, summo contendimus studio, ut non tam mirari vel indignari nostrum in cathedram hanc ascensum, quam equis benevolentia vestrae flabris adflare, Preceptorisq; nostri institutum serenâ excipere fronte, eiq; assensum & applausum spontè dare velitis. Antequam verò vela solvam & pelago dicendi me committam, paucis conventus hujus nostri causam premittere & exponere necessarium duxi. Neminem autem vestrum, quotquot adestis, esse arbitror, qui non exploratum satis satisq; perspectum habeat, confluisse nos in hoc auditorio, ut de fundatione, sed & initiatione Scholæ hujus nostræ brevibus ageremus, ejusq; anniversariâ in presentem usq; diem per tot annorum spatia servatam & continuatam festivitatem piè, & quâ par est dignitate recoleremus ac celebraremus. Scholæ igitur nostræ quod attinet autorem & conditorem, agnoscimus eundem post Deum Magnificum & Amplissimum Libera hujus & Imperialis civitatis laudatissimæ Senatam, qui prudenti & singulari consilio nonnulla in Republ. sua in meliorem refingi & redigi formam sedulo curans: etiam de scholâ consilium, minimè temerarium, sed laudabile & necessarium inijt, veteris & prioris perpendens incommoditates, quippè quæ in angulo remoto, mœnibus contiguo, urbisq; extremitate sita, pueris eandem aduentibus & frequentantibus multum ob viæ longitudinem crearet molestias difficultatesq;. De alio igitur loco Scholæ novæ excitandæ commodiori & aptiori satis maturè & prudenter co-

ter cogitans, hunc, in quo extractam videmus, jucundiorē si-
mul & utiliorē prae veteri illo existimavit, eundemq; officina
& domicilio pietatis, virtutum honestissimarum artiumq; libe-
ralium selegit, destinavit, consecravit, tum quod hic locus ferè
in urbe sit medium centrumq;, tum etiam quod aquae flumen
propius hunc ipsum praeferlabatur, cujus usus commoditasq; vel
hic maximè necessaria & insignis esse poterat. Hec igitur optimè
prudenterq; cum Magnificus & Amplissimus Senatus perpendis-
set & considerasset, ea quae ad Scholae suae extructionem necessa-
ria judicavit, maximo suo sumptu & impendio preparari &
confici curavit. Aedificium itaq; ipsum, τὸν θεῶν πάλαιον, ce-
ptum & inchoatū anno à redemptio genere humano supra sesqui-
millesimum septuagesimo octavo, sexto die Calendarum Junij,
ubi primus ejus lapis primaq; fundamina feliciter posita fuerunt.
Elapso tandem annorum duorum spatio, cum jam aedificium to-
tum confectum & erectum splendide satis & cultè preparatum
& ornatum staret, eo ipso die, quo architectari ante biennium
ipsum ceperant, Schola solenniter inaugurata & initiata fuit:
Praeceptores ipsi discipuliq; omnes supremi, medij, infimi in
Scholae veteris auditorio confluxere, ex eodem, ordine spectabili,
egredientes magno cum tripudio & plausu Deum omnipoten-
tem dignissimis collaudavere laudibus, cantiones planè divinas
à Reverendo Clarissimo tum temporis Superintendente M. Lu-
dovico Helmboldo p. m. effictas, & à Joachimo à Burck
in suavem redactas harmoniam, pleno ore concinuerunt:

Nun walt es Gott wir ziehen auß/
Und gehn nach eim bequemern Hauß/
Denn dieses ist gewesen. etc. Item

Woher kömpt uns die neue Schuel
Am Wasser wol gelegen?

Wer

Wer ist's dem man drumb dancken soll
Mit warhafftigen Segen? etc.

Sicq̄, suavissimis aërem mulcentes harmonijs, novam istam, à Magnifico Senatu conditam & apertam Scholam, divinâ supernè aspirante gratiâ, feliciter sunt ingressi. Hæc omnia veneranda olim antiquitas insignia & certissima omnipotentia & clementia divinæ signa verissimè credens, ut posteros suos ad debitam divinorum horum munerum, præteritis temporibus, exhibitorum prædicationem inflammaret, eorundemq̄ memoria ab eis recoleretur, hanc festivitatem magno cum zeli pietatisq̄ ardore instituit, sanxit, propagavit. Cùmq̄, hæc omnia facta & peracta fuere eo ipso die, quo ablatâ illâ, literis divinis decantatâ eluvione, fidelis ille divinæ justitiæ præco Noachus ex arcâ, quam Dei jussu construxerat, egressus, summo sacrificia obtulit Jehovæ, eidemq̄ pro sui & suorum salute & conservatione gratias, ex puro corde, egit maximas: Idcirco pia illa antiquitas seriò voluit, ut hodierno die non solum festivitas illa scholastica quotannis piè celebraretur, verùm etiam, ut in hac, diluvij & egressus ex arcâ Noachi historia in publico conventu, uti illam Spiritus S. literis monumentisq̄ consignavit, prælegeretur, & quid ad illam pertineret, dissertatione quadam planum perspicuumq̄ auditoribus redderetur, unice in votis habuit. Atq̄ hæc illa Scholæ nostræ exstructio, hæc inauguratio & initiatio, hæc majorum nostrorum consuetudo & instituta festivitas est, omni certè laude, ab omnibus, nullo non tempore prædicanda, quam fidelissimi nostri præceptores non oblivionis velamine tegendam & delendam, non sinistro improbandam & abrogandam duxerunt iudicio, verùm, ut ejus rei memora & festivitas hæc in omnem posterorum progeniem propagata & conser-

B

conser-

conservata duraret, dignissimam judicarunt. Atq; hinc factum, ut non ipsi solum, annis precedentibus, hujus negotij onus & provinciam humeris suis suscipere haud fuerint gravati, sed & nunc nobis, quantum pro eruditionis nostrae progressu & profectu liceret, ut nostrum hac in parte *Ἰσθὰ δὸν μὲ εἶ* ego adjiceremus, in mandatis dederint. Cum ergo hac solennitate de diluvio & Noachi arcâ potissimum sit agendum & tractandum, jussi sumus problema historicum auditorio non solum movere & proponere, verum etiam argumenta, quibus illud ventilari ac disputari posset, quasi concertando exponere. Problema verò tale est: an omnia & singula animalium & brutorum genera, nullo excluso, quæ quidem hac nostra ætate in omni terrâ degunt & inveniuntur, necessario in arcâ Noachi, diluvij tempore, fuerint inclusa & contenta? De quo, ut ego meum, absque ullis verborum anfractibus, statim & liquido explicem animum, meamquæ quam de hoc foveo sententiam, citra tamen veritatis historicae & caelestis jacturam aut præjudicium, proferam, negativam probabilior em, adeoque ad ejus mihi transeundum castra signaque mea cum ista conjungenda esse autumo, dum certis firmisq; ut arbitror, fundamentis probari & sufficenter confirmari posse existimo, non omnia & singula animantium genera, quæ hoc ævo reperiuntur, in arcâ illâ contenta & inclusa fuisse. Hoc verò cum fusio rem paulò, paulòq; prolixior em deductionem & expliationem requirat, quantum in me erit, si non Oratorum more, eruditè eandem instituero, saltem tamen, summa sequens fastigia rerum, ruditer delineare conabor. Vos igitur, viri omnium Ordinum eminentissimi, hoc agentem aurium vestrarum benevolentia ut animetis & aquanimitate faventiâq; vestrà sublevetis, quò sententiam meam explicare,

plicare, confirmare & corroborare valeam, cum omni subjectione vehementer etiam atque etiam à vobis peto. Atque ut inde orationis meae telam exordiar, alto jam plane præteribo silentio nihilq; memorabo de istis animantium generibus, quæ imperfectiorum nomine à Philosophia cultoribus naturæque scrutatoribus indignantur, utpotè locustis, araneis, bruchis, muscis, erucis & hujus farinae alijs. Omnes enim, credo, ultrò & spontè fatentur, ejusmodi in Noæ navigio non fuisse, eò quòd absque ullà inter se commixtione nasci & sine hoc conservationis medio propagari & reparari possint. Ex putredine siquidem & calore hæc facile generari & produci, Philosophorum omnium, consentiente auctoritate, sed & experientiâ suffragante, certissimum est. Quamvis enim ipsa quoque à summo & præpotente DEO in primævâ ista rerum, quæ cæli terræque ambitu continentur, omnium creatione, ut cætera, ex nihilo creata & architectata sint, sicut expressè sacrarum literarum attestatur veritas, quòd omnia terræ reptilia, secundum speciem suam, condiderit Jehova: attamen cum genus illud, quovis adeoque imperfecto, ut vocant, generationis modo conservetur, augeatur & propagetur, causam cur necesse habeamus statuere & credere, ipsum in arcâ fuisse dignam satis sufficientemq; reperio nullam. De aquatili & natatili isto animantium genere, piscium puto, similiter nulla faciam verba, sed & illud silentij velamento obtegam. In confesso quippe est, quòd eluvione istâ, adeò non perierit, ut etiam in aquarum ista copiâ & abundantia, in tam suavi scilicet, sibi què optimè convenienti elemento & nutrimento, omnium commodissimè vixerit & conservatum fuerit; sicut aliquando ex hoc ipso loco, hoc ipso festivitatis tempore audivimus.

De perfectioribus dicitur taxat terrestribus agam, quæ non nisi perfectâ generatione, atq; hinc maris & fœminæ conjunctione, procreantur: quæq; prioris mundi tempore, ante diluuium, per omnes orbis terrarum regiones & loca, disiecta & dispersa fuisse nullum est dubium. Hujusmodi enim in veteri orbe simul & in istâ mundi parte, quæ quòd noviter demum reperta & detecta fuerit, novi orbis nomine nuncupari consuevit, inventa, sed & eandem horum copia scatuisset & refertam fuisse, qui facile negabit, puto esse neminem. Sed mihi de veteris orbis animalibus pluribus hic agere non est in animo, nec libet de his, quamvis facile possem, multis contendere. Extra dubitationis enim aleam positum esse arbitror, quin Noah eadem & habere & in arca à se edificata conclavia cogere & inferre potuerit. De novi autem orbis animantibus, quæ nobis omnibus regethneja, dubium erit maximum, in hisce cardo rei versabitur. Eorum namq; qui novi orbis historiam literis memoriæq; prodiderunt certissima auctoria & non spernenda autoritas testatur, non multas, imò numero paucissimas animalium species nostri orbis animantibus similes, hominibusq; nostram mundi partem inhabitantibus notas, in novi illius orbis sylvis, regionibus & urbibus visas & repertas fuisse. Testantur non visos aut repertos equos, non canes, non porcos, non asinos, non vaccas, non boves, non deniq; visas & repertas oves, quæ quidem ullam cum nostris similitudinem habeant. In regno siquidem Peru oves reperta sunt immani & ingenti corporis magnitudine, ut quæ non cedant nostris immanitate corporis equis, toroso & strumoso petore, collo gracili, dorso gibboso, Camelis non absimiles. Hæ ipse tanto virium robore pollere scribuntur, ut onera quingvainta pondo sustineant, & virum in tergo sublatum ad aliquot passuum

passuum millia vehant: tandem verò oneris vi viæq; longitudine
 superata & fatigata, si quiescendi facultas illis degenetur & ul-
 terius agitentur & urgeantur, insidentes ore, fæditate spurci-
 tieq; squallente, retroflexo turpiter contaminent & commacu-
 lent; onerum verò gravitate pressæ humo sese acclinent, nec inde
 ullâ verborum asperitate, nec verberum acerbitate, ipsis asinis
 contumaciores, nisi penitus clitellis liberentur, propelli & de loco
 abigi possint. Lanarum tenuitate, longitudine & copiâ nostras
 hæ ipsæ facile æquant, & carnis suavitate vervecum aut juven-
 corum carnibus assimilantur. Reperti & visi sunt vesperilio-
 nes gallinarum quantitate: gallinæ contrâ, quæ loco pennarum
 pilos habent instar catti nigri, sed quæ optima tamen & sapidis-
 sima ova pariunt. Boves reperti maximi, qui crassitudine,
 non autem altitudine Elephantos æquant. Ales in Peru reper-
 ta, quam istius loci incolæ Eme nominant, cygni quantitatem re-
 ferens, nigris alis, in capite rotundatum eumq; durum, instar
 conchæ, clypeum gerens, robustis unguibus, retrorsum instar
 equi calcitrans, quæq; pomum pugni quantitatem æquans inte-
 grum, candentesq; ignium prunas, sine stomachi corporisvè la-
 sione devorat. Sed hic reliqua *ἑξ ἑξ* genera, quæ Geo-
 graphi longâ serie enumerant, brevitatis studio intacta relinquo.
 Hæc igitur si quoq; & sic ad unum omnia in arca Noæ penetra-
 libus conclusa & reperta fuerunt, necessum omninò erit, ut fir-
 mis ijsq; veris & validis demonstretur rationum ponderibus,
 quo pacto ante diluvium, superato & emenso ingenti illo Ocea-
 no, ex novo orbe in veterem ad Noachum pervenerint: & quo-
 modo à terrâ diluvio ablato, ex veteri in novum orbem denuò
 fuerint, tanquam in propriam sedem, translata. Sed hic aqua,
 ut dicitur, hæret, veraq; & sufficiens rei ratio vix, credo, pro-
 feretur.

feretur. Pervenerunt enim & hinc inde translata sunt animalia ista vel per terram, vel per mare. Non per terram. Novus enim orbis, tanta vastitatis & amplitudinis mari, à veteri orbe dividitur, ut aditum accessumq; ad se totum facile impedire & intercludere quovis tempore potuerit. Firmiter namq; statuendum est, etiam ante diluvij tempora, eadem interjecta & interposita maria fuisse, & post diluvium ad sua collecta loca, eadem, nutu omnipotentis DEI, spatia occupasse & replevisse. Quod si igitur per terram animalia hæc non fuerunt translata, relinquitur, per mare ad veteris orbis loca pervenisse. Si per mare, factū illud vel vi propriā, vel alienā. Sed quo pacto vi propriā pervenerint, Oceanumq; illum superarint, nullā unquam ratione demonstrari & confirmari potest. Magni nominis quidem Theologus Augustinus natatu maria isthæc superasse contendit; sed hoc planè impossibile judico. Immensa namq; vastitas & intercapedo marium longè maxima facile hoc evertit & refellit. Et quid? Si navigandi arte vix agrè superatur maria, quomodo, queso, vel natatu vel etiā volatu possint? Impossibile est, nulliq; rationi vel veritati consonū & congruū, ullo unquam tempore vel à prima rerum creatione extitisse, vixisse & repertum fuisse tantæ roboris animal, quod ad mensium aliquot spatia continuè & à *ἄλλοις*, sine pastu & potu, sine quiete & otio, vel per aërem volaret, vel per mare nataret. Sed nec alienā vi pervenisse constat. Hominum enim adminiculo & adjumento eò translata esse, necessum foret. At quomodo? Per navigandi artem, dices? sed nec illud, tum temporis maximè, fieri potuit. Quamvis enim & prisca navigandi artis peritiam habuerint, non tamen talem, qualem posterioribus seculis homines, qui ad Americanos usq; penetrarunt, habuerunt; multò minùs scientiā atq;

tiâ atque usu nauticarum rerum antiquos illos hodiernos antecessisse, verisimile est. Certum enim & in confesso est, antiquos acûs nauticæ, nobilissimi instrumenti, cognitionem, & magnetis usum, cujus inventio recentior, cujus item ductu hodiè longè lateq; nautæ maria unicè pervagantur, non habuisse; sed penitùs ignorasse. Et si Noah, arcâ ad mandatum D E I extructâ, primus navium inventor extitit, adeò ut structura ipsarum antea in obscuro latuerit & prorsùs incognita fuerit, quomodo ante diluvium vel ipse, vel aliùs quispiam navigio in novum orbem excurrens, animalia inde afferre vel advehere potuit? aut quomodo postea ingenti illa navi seu arcâ, quæ in cacumine montiû Ararat stetit & conquievit dicitur, in mare translata, animalia in novum orbem vicissim reportavit & revexit? Sed nec finem, quem propter animalia eò fuissent delecta, utilem bonumque reperio. Ea quidem animantium genera, quæ hominibus usui & emolumento esse potuerunt, silenter præteribo; de istis tantùm quero, quæ non utilia sed inutilia, quæ non commoda sed incommoda, non fructuosa sed pernicio-
sa fuerunt, quo usu, quo fructu eò fuerint translata, si modo translata? an ut lupi oves devorarent? leones, ursæ, tygres ut prædarentur regioniq; vastitatem inferrent? Apage, qui ista somniare & nugari non erubescis. Neque enim quemquam hominum eò stultitiæ & vesaniæ proruisse credo, ut tam pestiferas bestias, tantò labore è remotissimis regionibus in alias terras, per mare præsertim tam vastum, adduxerit, immiserit.

Quare cum ratio sufficiens in promptu sit nulla, neq; mentis acumine vel sagacitate indagari & inveniri possit, quomodo animalia ex orbe novo à Noacho

in veterem

*in veterem fuerint translata: & post diluuium eò rursus de-
 vecta, firmiter utiq; concludo, omnia & singula animalium gene-
 ra, cum primis verò illa, quæ in Americanis hodiè reperiuntur &
 habentur locis, in arcâ non fuisse; & ex eadem in orbem prodijse.
 Atq; ut meam, in ingenti hoc dubio, sententiam protinus absq; ul-
 là tergiversatione securè & liberè exponam, cum animalia que-
 dam ex variâ inter se commixtione gigni & existere possint, sta-
 tuendum puto, naturam potius ipsam, rerum omnium matrem,
 portum perfugiumq; eligendam & arripiendam esse. Si enim
 ex variâ inter se commixtione animalia quædam novas species
 effinxerunt, produxerunt, constituerunt, non admittendum ex-
 istimo, ut nos intra tam exiguos arcæ cancellos includi sinamus,
 omnesq; animantium species in unicâ Noæ naviculâ quæramus.
 Puto hoc ipso non posse reperiri quicquam, quod promptius pro-
 bari, facilius stabiliri demonstrariq; queat. Ex variâ enim plan-
 tarum è terræ visceribus pullulantium insitione, præsertim verò
 arborum, subinde alias atq; alias species progenerari experientia,
 rerum omnium magistra, luculentissimè comprobat & confir-
 mat. In propatulo etiam est, quod ex asini & equæ commixtio-
 ne nova generetur species, quam mulum vocamus. Ex cane &
 vulpe itidem alia producitur species, quæ ob id κωαλωπιξ appel-
 latur. Naturæ certè vis in omni re maxima, potentissima: quid-
 ni ergò in producendis animalibus maxima simul & potentissi-
 ma efficacia? Quin & eandem sæpè numero mirabili non solum,
 sed & insueto omnemq; humani ingenij. aleam excedenti opera-
 ri modo, experientia itidem didicimus compertumq; habemus.
 Atq; ne sim vobis longâ exemplorum enumeratione molestus, non
 dicam nunc, quòd*

----- de putri viscere tauri

florilegæ

florilegæ nascantur apes, ----
ut Poësi & doctrinâ per orbem decantatus restatur Ovidius in
libro, quem Metamorphoseon titulo eruditi indigitant, & hoc
in utrisq; non inferior, sed vel longè superior & clarior Virgi-
lius in libro Georgicorum quarto. Mirandum illud imò supra
modum mirandum est, quod Avicenna, Averroë attestante,
statuit, etiam hominem ex putri materiâ per generalem intelli-
gentiam, quam Cholcodem seu formarum datricem nominat,
produci generariq; posse. Unde Paracelsus haud obscure in-
nuuit, ex vini panisq; essentiâ, caloris artificiosi beneficio, semen,
& ex semine hominem conformari, non esse impossibile. Hic
iterum non adducam & attingam, quod Virgilius noster, loco su-
prâ citato, approbat, equas alicubi solo concipere vento:
dum ait:

Vere magis (quia vere calor redit ossibus) illæ
ore omnes veræ in Zephyrum stant rupibus altis,
exceptantq; leves auras : & sæpè sine ullis
Conjugijs vento gravidæ, mirabile dictu.

O naturam meritò admirandam & deprædicandam ! ô stupen-
dam illius efficaciam & operationem verè prodigiosam ! Quis
ergò vel adeò hebes & stupidus erit, ut statuere velit, omnia a-
nimalium genera ex arcâ illâ Noæ prodijisse, ex eademq; quasi ex
stirpe progenerata & producta fuisse, cum eadem post diluvium
vel ex alijs speciebus inter se commixtis nata & propagata, vel
aliâ quavis nature operatione producta & constructa censeri
possint. De specierum illa commixtione egregiè disserit ma-
gnus ille Scaliger, eamq; tanti facit, ut præstantiora etiam inde
animalia generari posse confirmet. Concors, inquit, atque
consentiens Natura sibi rerum omnium tum superiorum,

C

tum

tum nostratum connexionem admirabili serie hac, quâ totum hoc unum est, perpetuâ necessitudine conjungit. Ita ut non solum sint in rebus tanquam gradus, aditus, recessus, separatis; verum etiam earum, quæ sejunctæ penitus videntur, substantiarum commixtiones. Quæ nova cognatione imbecilliores species in tertiam quandam firmiorem sæpè coalescunt. Quo consilio equi atq; asinæ meditata est mixtionem, ut alterius patientiam alterius vegeta promptitudine temperaret. Itaq; cujus parentes ævi brevioris existissent, Mulus ad annos octoginta vitam produceret.

Aliam verò naturæ operationem & productionem ipse inter Theologos antiquiores facile princeps Augustinus, dum aliquo in loco, animalia quædam, post diluuium, ex terrâ fuisse producta, haud obscure innuit. Quod si natura tanta potentia, tanta efficacia, tantaq; in profeminandis rebus vis & operatio, quid de naturâ naturante, ut vocant, DEO ipso dicemus & statuemus? Hic enim unus omnium potentissimus, imò omnipotentia ipsa, hic omnia in omnibus vocat τὰ μὴ ὄντα ἵνα ὄντα, huic certè novo & quasi secundo creationis modo animalia nova hinc inde è terrâ procreare & ædificare facillimum, imò parùm vel nihil fuit: à quâ sententiâ jam olim nonnullos non abhorruisse certam est. Videntur ergò non ad solam arcam brutorum genera cogenda & adstringenda; aut ex eadem dinumeranda esse, cum aliâ ratione potuerint propagari. Sed ut omnibus hoc magis liqueat & veritas hujus meæ sententiæ fiat manifestior, ad exempla confugiendum, ipsq; opinionem meam fulciendam & roborandam necessarium autumo. Ex hominibus enim illud genus, quod immensi corporum magnitudine & fortitudine est celebre,

lebre, Gigantum puto, in arcâ non repertum fuisse, indubitanter
asserô. Licet enim nonnullorum hæc fuerit opinio, primi mundi
homines Gigantes fuisse: at tamen, aliorum consentiente autori-
tate, illam approbare non possum; nec ulla obvia & in proclivi
caussa est, quare huic subscribere opinioni quisquam possit.
Nihilominus verò tam ante quam post diluuium existisse
& vixisse Gigantes, historia tum prophana, tum sacra autoritas
& veritas confirmat. Quamvis autem nonnemini consenta-
neum & probabile videatur, unum fortassis ex Noe filijs Gigan-
tem fuisse, quod tamen vix quisquam, credo, solide demonstra-
bit, querere tamen ulterius poterimus, an etiam Pygmaei in arcâ
fuerint? Sed, inquis, tu prius ediffere certioresq; nos redde, an
quæ de minusculo hominum genere, quotidiano vulgi sermone,
ubivis locorum circumferuntur, pari cum veritate passu ambu-
lent? annon potius à veritate aliena, tanquam falsa & fabulosa,
exsibilanda & explodenda sint? Ego verò constanter & indubi-
tanter asserô, omnino veritati consona & congrua esse, quæ de
Pygmaeis referuntur, & quod maximè tales in rerum naturâ
sint & inveniuntur homunciones. Idquæ & Geographorum
testimonio constat, & præstantissimorum scriptorum autoritati-
bus comprobatum est. Quidam, inter quos Homerus & Ari-
stoteles, regiones & loca, quæ incolunt, utpote Aethiopiam, In-
diam, Thraciam describunt: Philostratus, ut res eò melius, ci-
tiusq; fidem mereatur, eorum urbem, Cadduram nomine, indi-
care non dubitat. Sed nec formam corporisq; Pygmaeorum sta-
turam aliqui scriptorum præteriere, de quâ sufficienter & lucu-
lenter Pomponius Mela, Strabo, Gellius, & præ cæteris omnibus
Olaus Magnus. Hos ergò tales ac tantos autores fabulosa
& ficta literis consignasse posterisque reliquisse, quis dicet?

Fixum igitur firmumq; manet istud, quod de homunculis Pygmaeis in ore fertur omnium. Sed ut eò redeamus, unde nos facta parvulorum Pygmaeorum mentio paulisper abduxit, quam hos ego in hac universi facie, quae ab ornatu & eleganti formâ mundus vocatur, reperio: attamen in arcâ illa Noe nusquam video: hic Pygmaei verè sunt Pygmaei, ut vel Diogenis lucernâ, si videre eos velis, opus sit, nil tamen videas, imò si vel Argus ille centoculus arcam ingrediatur: tantùm tamen de Pygmaeis videat

----- quantum Polyphemus in antro.

Neg; enim unquam mihi vel aureum fundens Orationis flumen Cicero, vel apis illa Attica persuadebit, aut rationum machinis à me extorquebit, ut fatear, aliquem ex Noe filijs Pygmaum extitisse. Licet enim cum Beroso, primi mundi homines Gigantes fuisse prorsùs non statuan credamvè, id tamen rationum momenit hasd difficulter probari posse puto, majoris eosdem corporis staturæ, quàm nos hodiè sumus, extitisse, cum praesertim natura ipsa semper magis magisq; languida & effeta reddatur, per turpem maximè perniciosamq; hominum intemperantiam. Atq; inde jam olim rerum naturalium solertissimus indagator Plinius affirmavit, naturam quotidie minora producere corpora, quo suo cursu longius processerit. Neg; ab hac sententiâ dissentit Virgilius noster, quando agricolam, qui posterioribus seculis terram aratro sit everfurus, admiraturum scribit proceriorum hominum sceleta:

Grandiaq; effossis mirabitur ossa sepulchris.

Quamvis autem fortassis ex omni animantium genere, quae hoc nostro aeo reperiuntur, produci possent plurima, quae in arcâ non viderentur fuisse, non libet tamen hinc longius exspatiari
eaq;

eaq̄ adducere: si unicum tantum adduxerimus, pro temporis angustia, contenti erimus. Mulus certè in arcà non fuit, id quod vel puer judicare potest, cum longo demum temporis spatio post, inventio & procreatio ipsius legatur in Genesi. tricesimo sexto capite. Satis jam, ut puto, quantum ad præsens attinet negotium, ostensum est, quòd omnia & singula animalium genera in arcà non fuerint. Sed pace & benevolentia vestra, auditores spectatissimi, unicum adhuc brevibus adponam de diluvio: quod si particulare, non autem universale statuamus, non modo scrupuli illi, ab Americanis animalibus nobis injecti, ex animis nostris ejicientur; verum etiam mea, quam animo concepi, sententia, apud quosvis locum facillimè obtinere palmamq̄ reportare poterit. Pergerem hoc loco non invalidas pro diluvij particularitate militantes rationum machinas adhibere, pluribusq̄ diducere verbis, nisi vererer rei novitate & insolentia me causse meae aliàs bona, hac ratione plus obfuturum, quam profuturum esse. Ideoq̄ ne vel extra oleas, quod vulgò dici consuevit, evagari videar, aures vestras benevolas auscultando diutius non aggravabo, sed hic vela componam dicendiq̄ finem faciam. Plus satis enim jam vobis molestus fui, hoc tam prolixo verborum strepitu. Unde tamen satis, ut puto, licuit aestimare, animalium genera omnia & singula in arcà non fuisse. Quomodo enim ex novo orbe in veterem traduci potuerint, & ex eo in alterum reverti, id sanè nulla ratione explicari potest. Ostendi, quanta sit naturæ miranda vis & efficacia in profeminandis animalibus. Catalogo quoq̄, quasi per exempla, decurri, indicans, in arcà non reperta fuisse certatim hominum, tum brutorum genera. Quod superest, auditores spectatissimi, hæc ipsa, quæ in medium attuli, in sinum vestrum candidè expono: putetisq̄ velim,

lum, ne hanc quidem opinionem tam penitus animum meum in-
 sedisse, ut eam oratio non convellere, ratio non labefactare, veri-
 tas deniq; non extorquere queat, quin potius id vel imprimis in
 votis habeo & obmixè peto, ut à Præceptore, vel alio quovis eru-
 dito viro scrupuli mihi injecti & me vellicantes, eximantur, re-
 fellantur ac diluantur: non me experietur quispiam obstinatum;
 quin potius docilem me præbebo, & ambabus, quod dicitur, ma-
 nibus meliora arripiam. Quis enim in quacunq; sive opinio-
 ne, sive sententiâ adeò pertinax perstet, ut quod firmæ veræq;
 suadent rationes, quod exempla corroborant illustra, quod de-
 niq; sensus affirmat communis, negare aut recusare velit? Itaq;
 si meliora edoctus voti q; mei compos factus fuero, certè id ipsum
 summi beneficij loco habebò, meq; informatori meo ad gra-
 titudinem, quavis ratione declarandam, ore, manu,
 animo libens letusq; adstringam & ob-
 stringam.

D I X I.

PARODIA HORATIANA

Ad Lib. I. Oden XXXII.

Poscis, Urbachi, vacua ut laboris
 Sapphicos ludat mea Musa versûs?
 Ludat; ast paucos. Age dic Latinum
 Barbite carmen,
 Optimo Phœbi modulate Civi,
 Qui Scholæ (Martis licet inter arma)

Festa

*Festa, jactatam & Cataclysmi in udo
Flumine navim*

*Dixit, & Mulo & Cynalopeci hancce
Arculam nuper penitus negando,
Atq; Pygmaeum generi & Gigantum,
Voce decorâ.*

*O decus Phœbi, & celebris Lycei
Grata pars nostri, socii laboris
Dulce lenimen, mihi, quæso, salve
Pauca canenti.*

Johannes Mylius Northusanus.

ALIA

Super Oden XXVI, Lib. I. Horat.

*M*usis amicus, desidiâ procul
tradens protervis in mare Creticum
portare ventis; quis sub arcâ
grex gelida latitavit undæ,
quis non, ferarum, disputat acriter
Urbachus. ô quæ vocibus admodum
gandes, apricos nocte flores
nocte meo Urbachio coronam,

*Sundela dulcis. nil sine te mei
profunt honores. Laudibus hunc novis
hunc metrico sacrare plectro
Teq; tuasq; decet sorores.*

Commilitoni suo f.

Martinus Wanderlebins Rockensufferanus.

GENEROSI MAXIME QVE STRENUI
ET MAGNIFICI DOMINI,
DOMINI GEORGII à Werthern/
CÆSARÆ MAJESTATIS & SACR. ROM. IMPERII
JANITORIS Hæreditarij, DOMINI in Beichlingen/
Brondorff & Thalheim/ &c. Sereniss. Electoris Saxo-
niæ Consiliarij Intimi & Judicij Provincialis
Lipsiensis Præsidis supremi,
GENEROSIS ET
PARIS EXPECTATIONIS FILIIS:
DN. CHRISTOPHORO,
DN. THEODORICO,
DN. VVOLEGGANGO,
DOMINIS SUIS BENIGNISSIMIS.

UT ET
AMPLISSIMIS,
PRUDENTISS. SPECTATISS.
VIRIS,
DN. VVENDELINO CULAND, Arcis Beichlin-
gensis Quæstori benè merito dignissimoq; ;
DN. NICOLAO Schrauben/ Reipubl. Colledanæ
Consuli meritissimo; Monasterij Electoralis Col-
lectori fidelissimo :

*Dominis Patronis & Fautoribus
pl. honorandis.*

HOC STUDII ORATORII SPECIMEN
*humiliter officiosèq;
offert ac defert*
JOHANNES SIDELIUS.



Συὶ Ἰαω̄ ἔ νω̄.

ORATIO SECUNDA.

PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA.

habita

à

JOHANNE SIDELIO COLLEDANO.

SCRIPTORES antiquitatum peritissimi, Reverendi, Amplissimi, Consultissimi, Prudentissimi, multijugæq; eruditionis eminentiâ Clarissimi Viri, Meccenates & Fautores summo summæ observantiæ studio perpetim venerandi: Tuq; optimarum artium & disciplinarum studiosissima juvenus, *Scriptores, inquam, antiquitatum peritissimi literarum monumentis intulerunt diluvium quoddam, quod Deucalionicum, à Deucalione Thessaliæ Rege, appellarunt. Incidisse hoc ipsam referunt in annum mundi bis millesimum, quadringentesimum, tricesimum septimum, anni post diluvium mundi universale septingentis, octoginta octo, vel secundum aliorum, haut imperitorum supputationem, septingentis octoginta & uno. Hoc Deucalionicum diluvium majorem Græciæ partem inundasse & absorpsisse, scribitur. Itaq; arripiens hoc Ovidius in Metamorphosi, licet subinde ad diluvium illud mundi universale alludat, quippe multa de illo à Græciæ Philosophis edoctus, qui ea ab Aegyptijs acceperunt; attamen reverà illud particulare, à quo occasionem sumit,*

D

mit,

mit, de altero etiam differendi, proprie considerat. Inter cetera
verò, & post alia, catastropham illius hoc modo describit; Deu-
calionem unà cum Pyrrhâ Coniuge, Themidis vatis oraculum,
de reparando mortalium genere, consuluisse, ibidemq; respon-
sum fuisse & mandatum, ut corporibus distinctis, & velatis ca-
pitibus ipsi ossa Magnæ matris, id est, lapides terra resò atq; à
tergo projicerent: qui quidem projecti à Deucalione mares;
à Pyrrhâ verò fœminæ confestim evaserint. Nimirum, ut
Poëta inquit,

---- brevi spacio, superiorum numine, saxa
missa viri manibus, faciem traxere virorum:

& de fœmineo reparata est fœmina jactu.

Cujus quidem rei, ne mendacia & fabulas ineptas & aniles,
quæ à sigmentis poëticis longissimè absunt (quippe sub quibus
veritas, quasi uva sub pampino latet) Poëtis assignemus, non
vanum sed planum; non spurium, sed purum, verum ac genui-
num historie convenientem sensum dari posse, nullum est dubi-
um. Putant enim nonnulli ad Deucalionem Regem, in tutiori
loco à diluvio constitutum, Græciæ homines quàm plurimos ra-
tibus vectos, ibidemq; salvos integris corporibus iterum egressos
& conservatos fuisse, ut ex inde genus humanum ab ipso condi-
tum fuisse, videretur. Sunt qui dicant, ob idem diluvium ter-
ritos homines, ad suprema usq; montium acumina & cacumina
confugisse, atq; cavernas & antra unà cum uxoribus suis, even-
tum rei & tempestatem expectaturos, intrasse: & ad hos revo-
candos Deucalionem & Pyrrham, cessantibus aquis, accessisse,
& Deucalionem quidem Viris; Pyrrham mulieribus vix egrè
persuasisse, aquas illas cessasse, nec eas amplius metuentes esse:
atque ita demum eos è saxeis antris, è quibus lapides exscindi-

mus,

mus, eductes, in habitationes & tecta reduxisse. Atque
ut hoc ex fide historica addam, Arrianus lib. 2. rerum Bithyni-
carum scribit, Deucalionem in arcem locumque eminentiorem
confugisse; atque inde egressum, post illam inundationem,
Jovi Aphesio liberatori scilicet, aram erexisse, & illi pro libera-
tione sacrificia fecisse & obtulisse. Sed ut ad rem & in-
stitutum nostrum veniam, Auditores, & ne presens tempus fru-
stra ducam & consumam, de illo verba nunc amplius faciam,
quod ad rhombum nostrum maxime quadrat. Hec ipsa enim,
quae de Deucalionea diluvio praefatus sum, ad commilitonem
meam, cujus de proposito problemate sententiam, jam modo au-
divimus, referrī & transferri posse, nullus dubito. Si enim
meus ille commilito Deucalioneos lapides certos haberet, haud
dubie facile acquiesceret, & animalium genera, ne in arca Noe
eadem quarere necesse haberet, extra eam fabricata vel ex la-
pidibus excisa crederet. Sed nempe frustra sic omnis cogita-
tio. Nihil enim in animalium terrestrium ac volatiliū gene-
re usquam reperitur, quod non in arca Noe querendum fuerit,
atque ex eadem egressum. Quia igitur & mihi dicendum &
verba de materia hac faciendum est: ideoque in contrariam
partem ibo, adeoque rationibus contrarijs, quibus potero,
validissimis, quae mihi in promptu jam sunt, demonstrabo,
omnia & singula animalium terrestrium ac volatiliū
genera in arca Noe contenta, retenta & conservata
fuisse.

Ego vero etsi iudicij & censura multorum haut parum per-
cellor metu, quod homo adolescens, ingenio nullo praeditus, eru-
ditione, si quae est, exigua excultus, iudicij exacti & confirma-
ti gravitate & excellenti a destitutus, ad orationem habendam,

quae versatur in amplissimo oratoria artis pelago, me incitari & inflammari passus sum: attamen neminem amplius latere puto, cujus jussu & autoritate nunc prodeam. Nimirum tua, Clarissime Dn. Gymnasiarcha, Praeceptor observande, cujus nec benevolentiam erga me ignorare, nec autoritatem negligere, nec voluntatem aspernari debeo, tua, inquam, me invitavit humanitas, exstimulavit dignitas. Tui ergo judicij & voluntatis clypeo munitus, prodeo alacriter, pugnaturus, sive quomodo, quantum per vires licuerit, acriter fortiter. Illud modo, auditores, subjectissime vos rogo & obsecro, officiosissimeque contendo, ut mihi (cui fateor, angusta & curta ingenij supellex est) non dicenti, sed balbutienti, vestrae benignitatis & equanimitatis Zephyrus spiret, quò alas dicendi eveham feliciter, proveham felicius, reveham felicissime, subsistam quietissime.

Atque ut rem ipsam, sine ullo fuce aut colore, cui libet ob oculos collocem, si omnia & singula animalium genera, exceptis piscibus, per diluvium deleta fuerunt & nihil ubique terrarum remansit: utique omnia, quae deinceps post diluvium, è perfectioribus terrestribus ac volatilibus, corpus integrum habentibus, caesurae carentibus, vixerunt & spiritum duxerunt, in arcam Noe, DEI jussu exstructam, fuisse necesse est. Aut certe si non fuerunt, locus demonstrandus erit, ubi remanserint; vis natura & ordo, quo deinceps procreata, quo conservata naturaliter fuerint. Quod licet aliquot modis affectatam jam fuerit; perfectum tamen nullà ratione fuisse, aequus quilibet iudex aestimare potest. Ut autem in propatulo sit omnibus, omnia & singula animalium genera è terrâ fuisse deleta, testem voco, non Plinium historiae naturalis principem, non Virgilium Poëtam optimum maximum; sed ipsam spiritum sanctum, DEUM Optimumque,

mumq̄, qui fallere & mentiri nescit: qui ipsemet est veritas, os veritatis, qui plantavit os, ut Psaltes loquitur. Hic enim in sacris paginis, antiquissimo religionis Christiana firmamento, solidissimo pietatis Orthodoxa fundamento, evidentissimo religionis & historiarum documento, nobis per servum suum Mo- sen confirmat, inquiens: mortua est omnis caro, quae reptat su- per terram, tam de volatili, quam de jumento & bestia, omniq̄ reptili, quae reptat super terram & omni homine. Atqui ne in rerum dubiarum pelago adhuc fluctuemus, aut supra rem aliquid dictum fuisse, existimemus, idem, cujus in ore nunquam menda- cium inventum est, amplius asseverat, omnia, in quorum naribus fuerat habitus vitæ, ex omnibus, quæ fuerant in sicco, mortua & per diluvium hoc deleta & extincta fuisse. Neḡ est, quod quisquam arguetur, diluvium fortassis universale non fuisse, DEUS ipsemet iterum nobis confirmat aitq̄; se deleturum o- mnem substantiam, quam fecit, à superficie terræ. Jam verò omnia fecerat, quæ in toto exstant mundo & per diluvium deleta sunt de terrâ. Colligere inde possumus, omnino universale fuisse diluvium. Sanè rupti sunt omnes fontes voraginis magnæ, & ut Lutherus noster, invictus Cacolica & Apostolica sedis vasta- tor vertit, **Da auffbrachen alle Brunnen der grossen Tieffel** & cataractæ cæli aperte sunt, & pluvie super terram continua supervenerunt. Maribus itaq̄, omnibus exundantibus, fene- stris cæli apertis, pluvijs continuis universum terrarum orbem occupatum fuisse, quis inficias ibit? Operti sunt omnes montes excelsi, qui erant sub toto cælo; imò quindecim ulnis supernè ro- boraverunt se aquæ & operti sunt montes. Orbem itaq̄, uni- versum inundatum fuisse, quis inficiari audebit? Imò & cun- cta, in quibus spiraculum vitæ erat, animalia mortua & inunda-

tione hacce de mundi theatro deleta fuerunt. Mundum itaq;
universum aquis obductum fuisse, quis negabit? Quid multis?
Perfecta etiam habetur in scripturis inductio, quod ab homine
usque ad jumentum, usq; ad reptile, usq; ad volatile cæli, omnia
fuerint deleta è terra; & relictus sit tantummodò Noa, &
qui cum eo fuerunt in arcâ. Quod si deniq; universi terra-
rum orbis progenies, ex tribus Noæ filijs, orta fuit & reparata;
ut nec homines, ita nec bruta animalia uspiam restare potue-
runt. Atqui illud iterum sacra litera affirmant & confirmant.
Tres, inquit, Moses sunt filij Noæ, & ab illis sparsa & repleta est
universa terra. Ex quibus manifestum & luce meridianâ cla-
rius est, omnino universale diluvium fuisse, & nullibi vel homi-
nes vel bestias in toto terrarum orbe residuas mansisse, & à Ca-
tactysmo immunes. Quæ cum ita sint, quis neget, in arcâ illâ
Noæ cuncta animalium genera comprehensa fuisse? & sicut
homines, ita & bestias ex eadem in universum terrarum orbem
fuisse traductas? Sed ad eam & videamus ipsa animalium ge-
nera. Perfectiora Physiçi haut imperitè in ieroglyphicâ &
ægypticâ disspescunt: quorum illa in alterutro tantum; hæc verò
in utroq; elemento, aère & aquâ, vivunt. De amphibijs im-
perfectioribus hac vice nihil, ut nec de illis, quæ ex heterobijs in
aquis vivunt, hoc est, de piscibus. Utraq; enim in aquis con-
servari vel etiam reponi ex patri materia potuerunt, sicut u-
trinq; in confesso est. Perfectiora solum videamus. Hic v. nobis
occurrunt volatilia, quæ quòd in arcâ fuerint secundum speciem
suâ, singula, ipse Jehova confirmat. Ex volatilibus, inquit, juxta
speciem suam. Atq; iterum, ex volatilibus, cæli, septem acci-
pies masculos & fœmellas, ad vivificandum semen in superficie
totius terræ. Sunt deinde terrestria, eaq; vel reptilia vel jumen-
ta.

ta. Reptilia, quòd in arcâ esse debuerint, juxta speciem suam, idem JEHOVAH disertissime mandat: Ex omnibus quoq, inquit, reptilibus terræ, juxta speciem suam, bina ex singulis ingredientur ad te, ut vivant. Jumenta, quòd in arcâ fuerint, & quidem omnia & singula, quis nisi impudens negabit? Ex omni, inquit idem Jehova, jumentò mundò accipies tibi septem, masculum & fœmellam ejus: at ex jumentis, quæ munda non sunt, bina masculum & fœmellam ejus. Ne quis verò existimet eventum mandatis non respondisse, ideoq, ipse Spiritus sanctus addit: Ex jumentò mundò, & ex jumentò, quòd non erat mundum, & ex volatili, atq, ex omni quòd reptat super terram, bina ingressa sunt ad Noah in arcam masculus & fœmina, quemadmodum præceperat Deus ipsi Noah. Hic autem genera omnia in arcâ fuisse necesse est fatearis; aut alia nobis genera in mundo uspiam demonstras. Quòd si ad speciem, ut vocant, progredi possemus aut vellemus, nulla quoq, esset, quin generibus illis sponte quasi sese submitteret. Fuerunt in arcâ ex terrestrium genere, Bubali, bonasi, uri, Echini, oryges, ictides, oves, boves, apri, capri, caballi, cameli, asini, onagri, tigrides, leones, canes, lepores, alces, lynces, lupi, cervi, meles, martes, simij, sciuri, pantheræ, mustela, vulpes, histrices, cuniculi, cercopitheci & omnes aliæ, si addere velim aut possim, species. Ex volatilium genere, anseres, accipitres, aquila, claudæ, apodes, attagenes, bubones, asiones, ciconiæ, colûbæ, ficedule, fringilla, fulices, coturnices, cornices, cardueles, grues, hirūdines, pavones, passeres, milvi, mergi, coraces, nycticoraces, onocrotali, pardali, galli, gallinæ, noctuæ, motacilla, ardeæ, curruce, cuculi, graculi, palumbes, perdices, pari, lari, psittaci, reguli, ululæ, upupe, vesperiliones, rubelliones, phasiani, turdi, struthiones, vipiones, pici, milvi; acanthides, meropes; galbulæ,

galbula, citrinella; otides, seleucides: Sed Spiritus me deficit,
quo minus ceteras omnes addere possim. Et quid opus est?
Interim dum hunc catalogum texere conor, incidunt nonnulla,
quæ in mentem adversario & antagonista meo fortè non vene-
runt. Potuisset enim querere primam: quomodo fera anima-
lia, quorum quedam vix viva capiuntur, contineri in arcâ po-
tuerint, ut non homini, non etiam ceteris animalibus nocuerint?
Deinde cibus carnivoris leonibus, lupis, ursis & similibus, tanto
temporis intervallo, quomodo suppetere potuerit? Quamvis
a. mallet Theologi alicujus hic audire sententiam & ipsum hac
de questione plura verba facere, quàm eandem pro meâ tenui-
tate ferre, captum quippe ingenij mei vincente & superante:
attamen cum hac dubia ipsemet moverim, pro virili, licet vili
ingenio, paucis mentem de iisdem explanabo meam. Contra
prius itaq; hâc clavâ unicè pugnare haud dubito, cum nimirum,
qui justificat impium, qui spirituales Philistinos & nostræ salutis
hostes domare, portas inferorum, antrum Acherontis luctuo-
sum, regnum Satanæ impetuosum, spoliare, oppugnare, vastare,
& Dagonis sacellum æternæ damnationis demoliri, Principem
mundi Diabolum, mille opificem, scelerum fraudisq; repertorem
& auctorem, atrocissimum divinorum operum hominumq; ho-
stem vincire & tandem sub pedes suos unâ cum omnibus asseclis,
calcare & prorsus conculcare potuit: eum, inquam, etiam ferit-
tatem & sevitiâ bestiarum indomitarum mitigare, easdemq;
ad manus usq; hominis mansuefacere potuisse. Ipse enim, qui
supra omnia imperium tenet, Princeps ter Opt. ter Maximus,
potestatem hominibus in bestias & in omnia animalia, quæ in
terris vivunt, jam olim dederat, concesserat. Hanc si revocasse,
jam dicamus, quis negabit? quis inficias ibit? Quamvis autem
domini-

dominium illud per lapsum multis modis infirmatum sit; attamen ex parte jam nobis remanet. Homines enim adhuc, rationis & virium potentiâ, animalibus sic dominantur, ut ipsa eos metuant, & se ab iisdem regi & corrigi patiantur. Id quod, tacente me, experientia omnium Magistra, ipsa satis testatur. Est ferox animal taurus: virium tamen ille suarum, cornuumq; oblitus, hominis se imperio subjicit. Animal Camelus clitellarius valde magnum: attamen hominis iussa mandataq; agnoscens, dorso onera ferenda accipit. Metum ac terrorem, vastitate moleq; corporis, Elephantus nobis incutit; eo virium robore pollet, ut arbores proboscide suâ radicitus evellat: jugo tamen & ipse colla submittit, magistriq; sui nutus observat. Equus licet insultet audaciâ, ferociat altâ cervice, calcibus ferratis solum fodicit: frena tamen ore accipit, sessorem, etiam puerum, sustinet, ab eo se regi inflectiq; patitur, ejusdem aut minis, aut virgâ, leviter tactus, cæhorrescit. Feras alias immanissimas, umbrâ, voce, lineâ pennis distinctâ coerceri, sono terreri inani, ac tinnitu fugari videmus. Apud Roxolanos pleriq; mansuefacti inveniuntur ursi, qui cum incolis regionis illius quotidie ambulat, ludunt, vadunt. Quid amplius dicemus? Summus omnium director, à quo omnia vitam & spiritum ducunt, voluit, imò mandavit, ut omnia & singula animalia ad Noam in arcam introirent. Quis ita demens erit, tam sine sensu ullo, tam expers pietatis, ut huic sententiæ contradicat? quis tam furiatâ mente Coræbus, qui tanta DEI facta actaq; neget? O mentes cæcas, quæ intelligere res divinas nec possunt, nec volunt! nonne ille, qui bestijs sævitiam & feritatem tribuit, eandem etiam, si quando velit, (potest enim) auferat? feras mansuefaciat & vel ovibus mitiores reddat? Alterum aggredior de
E cibo.

cibo. Quamvis a. nullibi in sacris reperiatur, aliqua in arcam collecta fuisse animalia, unde carnivora bestia viverent; nihil tamen obstat, quò minus id à Noà factum fuisse credamus. Quia verò scriptura tacet & nihil præterea addit, quàm quòd ex omni esca secum in arcam Noa quidvis assumserit, ego quoque taceo,

----- Et verbum non amplius addo.

Neminem verò, Auditores lectissimi, adhuc puto inter vos esse, qui dubitet, omnes & singulas animalium species in arcà illà Noa comprehensas fuisse. Sed tamen si cui nondum satisfactum sit, illi bolum adhuc unicum deglutiendum damus. Si non est necessarium, omnes & singulas animalium species in arcà querere, dicendum omnino fuerit, Deum sine suo prorsus frustratum fuisse. Quid enim aliud sequatur? Cur, quæso, ipse animalia inclusit? nempe ut conservarentur & ex hac arcà de-nuò propagarentur. Sic enim Moses, Moses autem? imò ipse Jehovah testatū facit, collecta fuisse animalia tam terrestria, quàm volatilia, ad vivificandum semen in superficie totius terræ. Totius, inquit, terræ. Deus igitur aut omnes species voluit conservatas, aut aliquas. Si aliquas, vel id ideò, quia ceteras habere non potuit: quod utiq; omnipotentia adversum: vel ideò aliquas; quia quasdam abs se conditas prorsus deletas voluit: quod adversatur non minus divine providentia: (omnia enim que Deus condidit, conservavit, nec speciem ullam interire permisit) quàm ipsius etiam gloria, eò quòd totum perfectum, hoc modo imperfectum redditum fuisset. Cum ergò non aliquas solam species conservavit, uti monstravi, necesse est, omnes & singulas conservasse. Quicquid sit, sine suo Deus nunquam fuit frustratus, nunquam frustratur, nunquam frustrabitur.

Deus

Deus & Natura nihil faciunt frustra, jam olim gentilibus Philo-
sophis decantatum, & à Christianis utraq; manu acceptum fuit.
Quæ enim Deus vult, facit, omniaq; potenter, sapienter, efficaci-
ter administrat. Quæ cum ita sint, omnes in arcâ species ani-
malium terrestrium & volatilium fuisse, nec ullam defuisse,
dubium nobis reliquum nullum est. Tua verò, mi commilito,
argumenta in contrarium adducta, tanta non sunt, ut rei sacris
literis consona, obstare admodum videantur. Ad quæ ipsa dilu-
enda accederem, nisi metuerem, audacia cujusdam juvenilis me
hinc accusari posse, qui in re, quæ supra captum meum esse vide-
tur, temerè pronunciare velim. Et sanè insolentis ac perniciosi
exempli, audacis impudentiæ, apud ætate graviores, autoritate
superiores esse videtur, in equalium sententias sibi criticas su-
perciliosè partes adsciscere: Insuper tenuitatis atq; infantie meæ
hac in parte benè mihi sum conscius. Ingenio quidem neq; melius,
neq; amplius aliud in naturâ mortalium donum est; sed meū, fa-
teor, incultu & socordiâ torpescit. Eruditio, aureum illud vel-
lus, Jasoni asportandum propositum, me destituit; nullam artium
& disciplinarum cognitionem, aut saltem per exiguam & umbra-
tilem mihi comparavi: flexanima dicendi facultati, quæ homi-
num demulcet aures, expugnat animos, nullam vel exiguam de-
di operam. Et memini antea in hujus Cathedræ luce illam Ro-
manæ Veneris gratiam, illam latinæ linguæ munditiem auditam
fuisse & collaudatam: quæ quidem à me singula expectari
nullo modo possunt. Quapropter debitione illa, quâ auditorio
amplissimo eram obstrictus, me, cum solvendo non sim,
exsolvi; à duello hoc, cum resistendo non sufficiam, prorsus
liberari cupio.

E 2

Te verò,

Te verò, Gymnasiarcha eruditionis eximia, doctrina liberalis
excellentiâ Clarissime, virtutum eminentiâ præstantissime, cum
in procinctu stare, atq; omnium ora & oculos unice in Te con-
versos & coniectos videam, Teq; unum sufficere sciam, & me-
cum sciant omnes, qui adsunt, qui arbitri partes gerere, bellum
hoc, juvenili audaciâ à nobis attentatum, prorsus debellare, imò
armis tuis validissimis dirimere & possis & velis: idcirco mo-
deratâ depositione personæ meæ, totius negotij declarationem,
& velitationis hujus scholasticæ compositionem, à Tuâ Excellen-
tiâ, unâ cum meis commilitonibus officiosè expecto,
imò reverenter & majorem in modum peto &
obtestor.

D I X I.

Johannes Sidelius Colledanus Tyrigeta.
Anagram.

Est honor è studijs, ac illa dein genij laus.

SIDELI, Sophia conando tendis ad arcem:
Felix propitio Numiæ fiat iter!
Pergere sic insta, duros superato labores.
Non dat, sed vendit cuncta labore DEUS.
Nec te pœniteat calamo scripsisse tabellas,
& studio doctis invigilasse libris.
Est honor è studijs, ac illa dein genij laus;
è studijs honor est, laus & ab arte venit.

Fraterni adfectus testandi causa F.

Joachimus Blæsingius.

Joan.

JOANNES SIDELIUS,

Αναγού.

Sisne inde ô laus? I.

Laus venit ex factis, quæ perficit iste vel ille;
Sed bene perficiat; sin male, laus aberit.
Indulges Sophia, è Cathedrâ facis optima verba.
Sisne mihi inde ô laus? I. bona testis eris.

Johan. Georg. Schneiderus Clingenfis.

Sicuti apes alacres libant nitidissima' prata,
Floribus existis dulcia mella legant.
Sic, frater, doctos perquiris acumine flores,
Ingenij lustrans rus Sophies varium.
Gratulor ergò tibi, conatum gratulor istum,
Et jubeo studium continuare bonum.
JANE, tibi hoc studium præstabit commoda multa,
Inde tibi eveniet gloria, laus & honor.
Perge, tibi Pallas mox impositura coronam;
Teq; mihi credas, fama sequetur anus.
Perge, inquam, doctos Musarum acquirere flores:
Jam labor; ast multum post tibi mellis erit,
Musarum ex studijs aderunt tibi dulcia quæq;
Procedet benè, quod comprecor, omne tibi.

*Fratri suo suavissimo gratulationis
ergò ponebat*

Joachimus Sidelius Gymn. Mulh.
Alumpus.



Συμ Ἰωάν. Ἐρω.
ORATIO TERTIA.

DECISIVA.

habita

à

M. GEORG. ANDREA FABRICIO, POET. L. CÆS.
GYMNASIARCHA.

DE PICTORE REFERUNT, QUOD, UT
est vis exercitationis in unâ re sæpè maxima, in depin-
gendâ cupresso sic excelluerit, ut eam solam eleganter
pingere videretur; in alijs ineptus fuerit atq; inelegans.
Conductus hic à quodam naufrago, ut quo nuper jacturam re-
rum omnium fecerat, naufragium in tabellâ representaret: an-
nuit quidem; sed interrogavit: nunquid & cupressum unâ pingi
vellet? Ridiculum caput! Cui merito Flaccus in arte, ad Pifo-
nes, Poëtica occinit:

Sed nunc non erat his locus, & fortassè cupressum
seis simulare, quid hoc? si fractis enatat ex spes
navibus.

Nos verò, Auditores Præclarissimi, Magnifice Dn. Con-
sul, Reverendi, Amplissimi, Consultissimi, Clarissimi,
Prudentissimi, Doctissimi Viri; Tuq; adolescentum stu-
diosorum Corona lætissima, Nos, inquam, cupressum, quod
in proverbium abiit, non simulamus; sed festivitati scholastica
omninò convenientia dicimus.

Naufra-

Naufragium contemplamur, non navis cujusdam mercatoriae, non classis argentariae Hispanicae; sed universi terrarum Orbis, ingenti & Catholico diluvio immerfi & submersi. Enatarunt ex hoc octo hominum animae, animalia insuper bruta, orbi restituendo destinata, ligno Gopher sive cedrino, sive cupressino, sive pineo, sive abiegno (variant enim linguae sanctae interpretes) conservata. Enatarunt autem ante annos ipsos ter mille nongentos quadraginta duos, die hoc ipso, qui est septimus & vicesimus mensis secundi, Iar dicti, hoc est Maji. Incidit in hunc & mensem & diem Scholae nostrae natalis, jacti fundamenti quinquagesimus secundus; initiati aedificij perfecti quinquagesimus. Cum igitur nobis solemne Scholae festum imperet, magnum illud mundi naufragium depingere, & magni illius navarchi Noe, cum adjunctis, per divinam providentiam, animabus, animalibusque brutis, ex eodem egressus; sed & fundationis ac initiationis Scholae nostrae memoriam celebrare: ideoque ad hanc rem sive conducti, sive inducti, non in ipsum diluvium & exundantes aquas arbores pingimus; neque in tabellam nostram montes cum sylvis exstare patimur, quippe quos scimus sub toto caelo obteatos & quindecim cubitis aquarum mole adopertos fuisse; sed in magna illa navi seu tabulis, quibus Navarchus noster, sine tamen naufragio, enatavit, consistimus, hoc est, arcam tantum depingimus, & quid in ea conclusum fuerit, modestè inquirimus & investigamus. Neque tamen haec curiositas putanda est, quasi non contenti simplici veritate, nimis altum sapere velimus. Non ita. Monemur festo hoc nostro, cui propositum quotannis apta & convenientia dicere, illa quae ad diluvium, arcam & interiora arcae pertinent, contemplari. Ac, nisi fallor, ita haecenus fieri consuevit, ut ex arca singula animalia, qui ante nos dixerunt

dixerunt, eduxerint: alius oviculas, alius vulpeculas; alius cervos, alius corvos; alius gallos, alius, si fas est dicere, gryllos. Ipse ego ante triennium Japhet, Sem, Cham, cum uxoribus, eduxi: ante biennium pisces, in eadem arcâ, quæ sivi; quanquam non inveni. Pisces diluvio non perierunt, inquit Petrus Lavinius, ad hominum nefandissima scelera, quæ & in aère & in terrâ (non autem in aquis) perpetrata fuerant, detestanda. Nec finis erit in posterum, si Scholam hanc, quod vovemus & speramus, Pater cælestis amplius nobis indulgeat, alia plura animalia in arcâ vel investigabuntur, vel ex eadem protrahentur. Ergo viam successoribus munire & in universum querere constituimus; non curiosi, sed hac parte officiosi: an omnia & singula animalium genera, quæ hodie reperiuntur, in arcâ comprehensa & conclusa fuerint? Nam si non fuerint, quomodo educentur? Et quid obstet, quò minus de hac ipsâ re, partim Theologicè, partim Physicè, partim Geometricè, partim Geographicè, partim etiam Historicè differamus? & jucunda hac rerum varietate, auditorium hoc universum fortean excitemus aut recreemus? Fiet amplius; aut si non factum, adhuc fiet. Sed tamen utinam facultas tanta mihi concedatur, ut excitare & recreare hos tantos ac tales possim! quamvis si non possim; hoc saltem studebo, ne displiceam, & ut voluisse tamen videar.

Interim benevolentiam & favorem vestrum, Auditores spectatissimi; imò & patientiam, quanta Colophoni huic sufficiet, meo quoque loco, à vobis omnibus ac singulis, quanto possim opere, etiam atque etiam peto, & quoad licet, deosco.

ROGATUS sum arbiter in eo, quod discipuli mei de propositâ questione historicâ hætenus disceptârunt. quorum alter præsumsit se ostensurum, animalium genera, quæ hodie in
universo

universo orbe reperiantur, omnia ac singula in arcâ Noë comprehensa non fuisse; propterea quod explicari non possit, quomodo animalia novi orbis, ab animalibus veteris, specie, ut loquuntur, differentia, per mare immensum, innabile, & ut sic dicam, impermeabile ad Noam, ad arcam; & post diluuium in suas quælibet regiones pervenerint. Ex quo ulterius asserere visus est, animalia quædam, aut ex varia inter se commixtione in alias atq; alias species degenerasse, aut ex terrâ à natura, vel à DEO ipso, de novo producta aut condita fuisse. Insuper ex hominum genere nec Gigantes, nec Pygmaeos; ex brutorum nec mulos, nec ejus generis alia, in arcâ delituisse. Atq; ut dubia, hæc & alia, uno quasi vento difflaret, ipse ad scopulum maximum & periculosissimum confugere ausus fuit, nempe terrarum quarundam à diluvio immunitatem. Quæ stante, salva esse omnia; nec dubium ullum reliquum putavit. Alter verò divina magis oracula attendens, omnia & singula animalium, terrestrium & volatilium perfectiorum, genera in arcâ conservata fuisse contendit, persuasus illâ, quam dixi, sacrarum litterarum autoritate, & ex his profluentibus alijs quibusdam argumentis, paucis quidem numero, sed pondere haut paulum gravioribus.

EGO verò antequam me prorsus exseram, quod liberius sine ullo obstaculo in cursu instituto progrediar, quid potissimum in viam objici possit, indicabo, imò removebo. Aristoteles disputatori, inter alia, hanc legem prescribit, oportere ipsum non omne problema in quæstionem vocare, sed illud solum, de quo dubitare quispiam possit, egens rationis, non pænæ aut sensûs. Nam qui ambigit, inquit, utrum oporteat DEOS colere & parentes diligere, pænâ eget: & qui, utrum nix sit alba, sensu. Vult ergo non de sensu manifestis, non de absurdis, bonis moribus

F

ribus

ribus aut pietati repugnantibus; nec tamen prorsus de remotis ac difficilibus quaestiones institui. De nostro instituto tale quid jam non nemo fortassean cogitavit, Auditores: poenā nimirum indigere illum, qui in dubium vocet id, de quo nullus Christianorum haecenus dubitavit. Alius sensu egere dicet eum, qui cum praesentia intueatur animalium genera, & universale diluvium factum sciat, contra sensum tamen querere praesumat; num animalia haec fuerint in arcā, cum fuisse videat, eò quòd videat. Idem enim videtur, ac si quærat, utrum in suo loco, quo unico & solo potuerūt ac debuerunt conservari, fuerint conservata, nec ne? cum ante pedes videat, conservata fuisse. Alius difficilem & à captu nostro remotiorem quaestionem dicet, cum ea instituamus scrutari, quæ nec necessaria sint, nec praescripturæ monumenta, aliud cognitionis principium admittant, ac proinde in longinquo sint posita. Hæc, inquam, removen- da sunt mihi, antequam in arenam descendam. Imitabor ergò bonum militiæ Ducem, qui exercitum suum educturus, vias & ipse complanat, senticeta exscindit, obvias quaslibet arbores, & totas sæpè silvas dejicit ac removet. Primò autem dubiam hanc rem esse, & jam olim haut paucis fuisse, non quidem ratio- ne sui, cum veram ac indubitatam eam esse, nemo nostrum non credat; sed ratione quarundam difficultatum, ex quibus simpli- cior aliquis, imò & diligens rerum divinarum & humanarum scrutator, hoc est, sapientiæ studiosus, expedire se non ita facile possit, placè existimo. Cogitet modò quilibet, quot animalium genera sint in mundo universo, & singulis quidem in regioni- bus. Chorographos & Geographos adeat, consulat, perquirat; attendat quæ & quot ipsi recensent. Catalogum texere in- cipiat; historia & experientia numerum serè semper aucebunt.

Expendat

Expendat hinc regionum per vastissima maria determinatos
situs, & quomodo omnia ac singula ad unicam & solam istam ar-
cam pervenerint, certis & firmis rationibus, rationis quidem
iudicio, sufficienter explicet; quomodo post diluivum dimissa,
sua singula in regiones, superatis terris & aquis vastissimis, re-
meârunt ostendat, & sufficienter quidem ostendat; quomodo in
arcâ tam erctâ, tanto temporis intervallo simul vixerint, quo-
modo & quibus singula victitârunt, sufficienter exponat: &
quæ dubia insuper alia incidere cogitari possint, secum non so-
lùm reputet, sed & refutat aut tollat. Videbit esse aliquid omni-
nò, quod ratione indigeat, non sensu. Ergò nec pœnâ egebit, si
quis diligens, nec petulans tamen, aut nimis curiosus rerum divi-
narum & humanarum scrutator, in hac talia, re ita exigente,
præeunte & prælucente divinâ scripturarum face, inquireat
Difficultatem verò tandem quod attingit, fatendum, difficilia il-
la omnia esse, si extra cancellos suos, solo rationis acumine &
mensurâ expendantur; non usque adeò difficilia & ab intelle-
ctû omni remota, si ex verâ suâ sede suoque penu qualibet
depromantur. Sed nec sublimitas in his talibus pallium debet
esse supinitatis: sicut frequenter accidit multis, qui res graves
atque arduas deserunt & desperatas prætermittunt, tanquam
sublimes; ne cum respondendo deficiunt, ignorantia cuiusdam
suspecti fiant. Hos asinis similes esse, qui criticum ad molas
ferunt, magnus ille Scaliger censet: nempe qui in superficie ac
supinitate, quam ipsi simplicitatem intellectioanam vocant,
contemplationis finem ponunt; ceteros curiosos vocant, qui,
quod nescire ipsi amant, studiosius affectantur, & quoad licet,
exquirunt. Sanè difficilia, quæ pulchra: &, ut Quintilianus
ait, Natura pulcherrimo cuiquè operi difficultatem proposuit.

Ceterum remotis jam hisce obstaculis, & viâ quâdantenus com-
planatâ, sine ulteriori mora iter ipsum, cû copijs meis, ingredior,
opem & suppetiatum non priori, sed posteriori sententiæ latu-
rus. Ingredior autem & egredior duplici exercitûs alâ munitus,
alterâ providentiæ divinæ; alterâ prudentiæ humanæ: quâ
utrâq; in campum apertum eductâ, quicquid adversum fuerit
nobis, promptè ac facile repellemus.

PROVIDENTIAM divinam ad latus dextrum col-
loco. Ipsa enim illa est, qua omnia DEUS ipse disponit, disposita
conservat, conservata moderatur ac gubernat. Quicquid er-
gò hic de deletione primi mundi, de conservatione quorundam
& hominum & brutorum susceptum, gestum ac peractum fuit,
id omne ab hoc unico & summo principio dimanavit. DEUS
est, qui mundo diluvium indixit, qui induxit. Ego, inquit,
paratus sum disperdere homines cum terrâ. Ego, ecce, adduco
diluvium aquarum super terram. Delebo homines, quos crea-
vi, à superficie terra, ab hominibus usq; ad jumentum, usque ad
reptile, usq; ad volatile cæli. DEUS est, qui ad Noham solum
ejusq; familiam misericordie oculum flexit. Noha, inquit Spi-
ritus sanctus per Moysen, invenit gratiam in oculis Jehove.
DEUS est, qui Noham cum familiâ in arcâ conservandum de-
crevit. Statuam, inquit, pactum meum tecum. Itaq; in-
gredieris arcam tu & filij tui, uxorq; tua & uxores filiorum
tuorum tecum. DEUS est, qui ex omni, ex omni vivente,
in eadem arcâ, semen voluit conservatum. Ex omni, inquit,
vivente, universæ carnis, bina ex singulis introduces in arcam,
ut vivifices tecum masculum & fœminam. DEUS est, qui
& ipse genera ista determinat. Ex volatilibus, inquit, juxta
speciem suam; ex omnibus jumentis, juxta speciem suam; ex o-
mnibus

mnibus quoq; reptilibus terræ juxta speciem suam; bina ex singulis ingredientur ad te, ut vivant. DEUS est, qui cum finem proposuisset, media etiam ad finem ipse ordinat; arcam non ad arbitrium Noæ edificandam proponit; non divinâ Palladis arte, sed DIVINA prorsus arte effabricandam docet. Fac, inquit, tibi arcam ex lignis Gopher; mansuunculas in arcâ facies & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus. Et hoc modo facies eam: & quæ sequuntur. DEUS est, qui victum & alimoniam præscribit & ordinat. Accipe, inquit, tibi ex omni esca, quæ comeditur, & collige tibi, ut sit tibi & illis, omnibus scilicet animalium generibus, in escam. DEUS est, qui arcam ingredi jubet Noahum, & qui cum eo. Dixit Jehovah, ait Moses, ad Noah: ingredere tu & tota domus tua in arcam. DEUS est, qui & animalia assumere omnia ac singula præcipit. Ex omni, inquit, jumento accipies. & quæ sequuntur; ut salvetur semen super faciem universa terræ. DEUS est, cui omnia parent, & ad cujus nutum, fabricam hanc omnia accedunt. Venit, inquit scriptura, Noah & filij ejus, & uxor ipsius, & uxores filiorum ejus. Ex jumento mundo, & immundo, & ex volatili, & ex omni, quod reptat super terram, bina ingressa sunt ad Noah in arcam. DEUS est, quo vocante omnia, & vel bruta sponte veniunt. Venerunt, ait textus, ad Noah in arcam, bina ex omni carne, in quâ erat spiritus vitæ. Atq; ut finiam, DEUS est, qui, quæ Noah præstare non potest, ipse præstat. Et clausit, inquit, Moses, JEHOVAH pro eo. DEUS itaque cum summa caputq; rei fuerit, quo dispensante pariter ac disponente facta sunt omnia; quid, quæso, fieri non potuit? Ipse animalium genera omnia & singula adventare, advolare, adesse jussisset; & ipsa non adventassent? non advolassent? non adfuis-
sent?

sent? Aut enim voluit, adesse; aut non voluit. Dicemus non
voluisse? Providentiae divinae adversabimur, cuius est, o-
mnia quae condita sunt, conservare; nihil negligere, aut ab u-
niverso revellere, & sic pulcherrimum universitatis rerum &
unionis vinculum, quo omnia in mundo sibi invicem pulcherrimè
coherent, dirumpere, solvere. Absurdum! Dicemus
non voluisse? Sacrae scripturae adversabimur; quae confirmat,
voluisse. Voluisse autem si fateamur, & posse concedamus ne-
cesse est, cum sit DEUS omnipotens; cum sit DEUS. Qui
ergo Israëliitarum tempore coturnices super mare, ventis agi-
tantibus, immenso agmine ad castra deserti confluere & convola-
re iussit, qui non idem ex omni mundi angulo, ex ultimâ Thule,
& ultra Thulen, illâ ex parte mundi, ubi juxta Poëtam,
----- jacet extra sidera tellus,
extra anni Solisq; vias,

quaevis animalia evocare, & revocare, educere atq; reducere
valuisset? Facilius omninò vocare, quae sunt, ut adsint, quam
quae non sunt, ut sint. Potest DEUS καλεῖν τὰ μὴ ὄντα, ὡς
ὄντα, vocare quae non sunt, ut sint; poterit etiam vocare, ut quae
jam sunt, adsint tantummodo. Gloriatur Centurio apud Evan-
gelistam, se hominem & quidem sub potestate constitutum,
militem proficisci si jubeat, eundem proficisci; alium venire si
jubeat, eundem & venire; servum facere si jubeat, eundem
& facere. DEUS, DEUS, inquam, ipse, non-homo; Im-
perator ipse, non-Centurio; Imperator non Copiarum, sed re-
rum universitatis, caeli, montium, marium, silvarum, bruto-
rum, hominum,

cui mare, cui tellus famulantur, & ignea caeli
Sidera, quem metuunt mortalia secla animantum,
si, inquam,

si, inquam, ille proficisci, si venire, si facere jubeat quidvis
quidlibet, quid futurum putabimus? Quae res in mundo suam
summo Imperatori obedientiam denegabit? Proficisci, venire,
facere recusabit? Quin ad voluntatem, ad nutum tota haec
mundi machina solvetur & corruet,

fiet & antiquum, quod fuit ante, Chaos.

Imò fiet aliquando, ad nutum DEI solvetur &
corruet. Providentia igitur divinâ sic constitutâ, alam ad si-
nistrum latus alteram ordino, Prudentiam videl. humanam.
Haec, DEO favente & volente, mirum, quantum possit.
DEUS hic omnia praescribit, ordinat, praecipit: Noë præ-
scripta quæ sunt, si non ratione, at fide assequitur; ordinata,
quo debuit studio, persequitur; præcepta, quæ debuit obedientiâ
exsequitur. Testem habet ipsum Spiritum sanctum, iterùm
atq; iterùm hoc adferentem: Fecit Noë juxta omnia; fe-
cit juxta omnia! Itaq; secundum mandatum DEI arcam con-
struxit, animalia omnis generis ad se collegit, ex omnibus escis,
quæ necessarie videbantur, comportavit, in arcam recondi-
dit. Addit e vestigio Spiritus sanctus: Ut præceperat ei DE-
US, SIC fecit. Non solum ergò fecit Noë omnia præcepta
DEI; sed etiam SIC fecit. Reperias rerum præfectos, mi-
nistros, servos, qui faciant quidem præcepta dominorum
suorum; sed non SIC faciant: hoc est de suo addant quæ-
dam, nonnulla etiam prorsus mutent, omittant. Noster sin-
cerè & fideliter omnia; ad amussim divinæ voluntatis,
omnia & singula accuratè, præcisè, exquisitè. Hanc ergò
fidelitatem & actionum sinceritatem, quæ non etiam suc-
cessus & eventus felicissimus, exquisitissimusquè sequeretur?
qui non homini, DEUM unicè secuto, omnia fierent possibilia?
Quocirca

Quocirca in animalibus colligendis, quamvis divinam providentiam jure prasupponamus: prudentiam tamen & solertiam humanam non excludimus; cum nec ipse Spiritus S. excludat. Fuit Noah rerum omnium experientissimus, experientia annorum plus quam quingentorum (sexcentos enim completos habuit, cum diluvium terram occuparet) confirmatus. Itaque & animalium singulorum genera maxime & perfectissime sibi cognita habuit. Physicam enim rerum naturalium scientiam Patriarche à Protoplasto Adamo longè certissimam & acceperunt & continuâ serie ad posteros propagârunt. Atqui nec libris opus fuit, aut commentarijs; sed vivâ voce à primo patre Adamo singula fuerunt edocti. Vixit enim Protoplastus cum filio Seth annos octingentos; cum nepote Enos annos sexcentos nonaginta quinque; cum pronepote Kenan annos sexcentos quinquaginta; cum abnepote Mahalaleel annos quingentos quinq; cum atnepote Jared annos quadringentos septuaginta; cum trinepote Henoch annos trecentos octo; cum minoribus, Mathuselah annos ducentos quadraginta tres; Lamech, patre Noah, annos quinquaginta sex. Hic verò Lamech aliquot seculis (mortuus enim fuit quinquennio ante diluvium) cum filio Noah conversatus, que ab Adamo ipso audiverat, fideliter & assidue ipsi enarravit & tantum non inculcavit. Nam quis hoc factum inficiabitur? Prasertim verò, cum inquisitione illâ, in animalium genera, opus esset (in Lamechi enim tempora incidit, diluvio centum viginti annis prasignificato) non fingere hic, sed probabiliter asseverare licebit, prater cognitionem, quam ipse Noa habuit, à Patre Lamecho, que ipse prater ea cognita & ab Adamo primo denominatore, accepta haberet, sedulo inquisivisse ac perdidicisse. Certè Jehovah singula animalium genera jam olim in
conspe-

conspicuum Adami adaxerat, ut quo nomine singula vocanda
essent, ipse dispiceret. Vocavit Adam suo quodvis nomine; vel
nomen potius (à libera enim impositione, non natura nomen est)
suum cuiq; imposuit. Ergo notitiam specierum omnium ma-
ximè habuit, eandem ad posteros, ne qua ipsos laterent, sedulo
propagavit. Quidam igitur statuamus, Noahum, divino præ-
sertim oraculo monitum, ne qua omitterentur, ne qua perderen-
tur, summo & exquisito studio providisse? quid? cum cogni-
tio & voluntas fuerit, an non etiam facultas simul adfuisset?
summo cum primis patrefamilias mandante, promovente, ju-
vante? Certè diluvium mundo corrupto, non ex abrupto ac
improvisò immissum; sed centum viginti annis antè prædictum
& præsignificatum fuit. Potuit igitur Noah satis maturè, &
arce fabricam suscipere, & animalium, aliarumq; necessaria-
rum inquisitioni & collectioni operam dare. Sed; ut scopu-
los hic evitemus geminos, videndum, ne prudentia humane ju-
sto aut minus, quàm decet, aut plus attribuamus. Justo minus
attribuemus, si dicamus, DEUM omnia solum miraculosè egisse,
exclusis medijs & sine ullà hominis operâ. Non fecit. Arcam
ipse creare vel adificare potuisset, ut antea universum mun-
dum. non fecit. Quæ superesse volebat animalia, in mundi a-
liquo angulo, ab aquis immuni (immunem præstare poterat, sicut
à tenebris loca ab Israëlitis habitata) conservare facile potuisset.
non fecit. Sine cibo aut pastu, sicut Moysen, sicut Eliam, conser-
vare; aut pascere sicut Israëlitas è cælo in deserto, aut sicut pul-
los corvorum in nidis desertos potuisset. non fecit. Singulis
casibus media ordinavit. Hominem voluit arcam suo præscri-
pto exedificare; in eâdem cum brutis delitescere; communi &
nativo victu vivere. Quocirca & ipse animalia sistere co-

ram Noah potuisset, citra ullum hominis vel laborem, vel molestiam, sicut olim *πρωτόπλαστον*, sine ulla ope, ad Adamum perduxit. Sed noluit. accipies, inquit, ex singulis, & introduces. Ergo ipsi acceptio demandata fuit & collectio.

Plus justo verò humana prudentia attribuemus; si omnia ad hominem, ipsiusq; vires, potentiam & sapientiam referamus. Ne fiat. Fecit homo hic suum; sed summo Moderatore operante, præeunte, jubente. Animalium ergò genera omnia & singula habuit, quia DEUS voluit, quia iussit. Intus erat impulsor spiritus, qui ad hominem egit. Itaq; ipsa, non tam cepit Noah, quam accepit; non tam venatus fuit, quam ipsa sponte quasi, ad nutum omnipotentis Heri, venerunt. Ideoq; in arcam dicuntur, ingressa, imò venisse. Atq; sic, ut utrumq; hoc agmen concludamus, suum fecit prudentia humana; sed unà suum, & quidem præcipuum, providentia divina. Quo sensu rectè scripsit Augustinus lib. 5. de civ. DEI c. 27. Non fuit, inquit, ista cura hominis (intellige, Principalis) sed divina. Non enim Noah capta intromittebat; sed venientia & intrantia permittebat. Impressius verò adhuc & nervosius Beatus Lutherus noster, aureo suo commentario in Genesim: Nisi, inquit, feræ mandato Domini coactæ essent ingredi, etsi Nohe aliquam industriam conferre necesse fuit, tamen non tanta ejus, hominis, fuisset virtus, ut cogere tam feroces potuisset feras. Et post pauca: Quod bina & septena sponte accedunt, miraculum est, & signum quòd præsenferint iram DEI. Bruta enim naturâ præfensiones quasi, & præfagia imminentium malorum habent, & sepè quasi sensu aliquo misericordia motæ, ingemiscunt pro homine, in manifesto periculo constituto: sicut apparet in canibus & equis, qui dominorum pericula intelligunt, & eorum,

sensu

sensu se affici ostendunt, dum canes querulantur, equi tremunt
& largum sudorem emittunt. Quin etiam fera-bestia non ra-
rò in periculis ad hominem confugiunt. Hic igitur sensus, cum
alioqui in brutis naturis sit, quid mirum est, si hic quoque tali mo-
do divinitus ad imminens periculum excitatae, volentes se cum
Noah conjunxerint? Sicut & historia testantur & comprobant
experientia, quod cum aut pestilentia ingens, aut magna clades
imminet, lupi, ferocissimum animal, non in pagos solum, sed etiam
in ipsa oppida nonnunquam irruunt, habentes refugium ad ho-
mines, & quasi humiliantes se, ipsorum opem requirunt. Hæc
vir DEI Lutherus.

E D U C T Æ sic ergò legiones & in duas quasi alas di-
spertite. Nunc quod felix & fortunatum sit amplius, ad pu-
gnam ipsam descendamus. Posteriori parti suppetiatum
promissimus. Priori contra bellum indiximus. **AD ARMA** igitur;
ad arma! Agmen primò invadamus illud, quod ex Ame-
ricanis Insulis educebatur. Quærebatur, qui animalia novi
Orbis, Peruanæ & cæterarum regionum, veteri orbi prorsus in-
cognita, ex locis istis ad arcam, & post diluvium ab arcâ, ad loca
ista denuò pervenerint? Telum acutum & nimis audax! quod
nisi excutiatur, veritatem historicam in re sacrâ labefactare
posse videatur! Sed excipio. Et hic primam exercitus mei
alam pugnare potissimum jubeo. Ajo, non si omnium dubio-
rum, quæ ratio fingit, causas manifestas promere valeamus, ve-
ritatis arcem ideò statim perfringi. Quid enim sit, aut fuerit
usquam divina virtuti & agendi libertati obstaculum? mare
fortassis? aut locorum intercapedo? nimis hoc leve & simplex,
creaturam obicem ponere creatori; utpotè, mare aut locum
DEO.

An tu si cogitatione tuâ non comprehendas modum, idè non sit? Sed ne interim cum reliquo meo exercitu tergum vertere videar, ecce sto firmus & pugno fortiter. Verum est, sunt varia, in novo orbe, quem vocant, animalium genera, quæ veteri hodiè prorsus sunt incognita. Verum est, & fatendum, si quisquam hodiè unam vel simiam, vel cercopithécum, vel psittacum ex Americâ requirat, per immanes istas & verè admirandas navigationes accipere quidem, sed non sine magno sumptu, posse. Sed quomodo Noahi tempora acceperint; hoc est quod querimus, quod miramur. Verum enimvero desinamus, & queramus hoc prius: an in sua regione Noah omnia & singula, vel saltem pleraq, animalium genera habuerit? Quæ si habuerit, non est, quod ipsa ab Indis & Americanis petere ipsum jubeamus; nos ipsi multo labore dabium illud explanemus. Ais, non in omni loco seu regione quælibet animalium genera vivere posse. Velim tempora distinguas, & locum. Non enim, si jam non sint, aut si hic non sint, neq, olim ante diluuium fuisse, neq, ibi nunc esse, consequens est. Velim & nostram regionem frigidiorè, à magis temperatâ distinguas. Sed heus, qui sit, quod etiam multa Indorum animalium jam in veteri orbe, & partim apud nos, vivant & generent, majoribus olim nostris hic non visa & cognita? Atqui ob pastum, inquis, in omni terrâ non vivant. Concedo; sed post diluuium. Non enim terra ante diluuium sic fuit corrupta, ut nunc est; imò hodièq, agri bonitas subinde degenerat, ut quæ loca commodissima & fertilissima olim fuerint; jam sterilissima appareant & indies magis magisq, evadant. Terra ipsa Palestina, quæ olim lacte & melle fluxit, nunc salugo est & pænè tota maledictio, testibus Geographis. Sed ponamus, ne cui invito sententiam istam obtrudere videamur.

videamur, ponamus, inquam, Nohe animalia quedam ex remotis-
tissimis quibusq; locis, ipsa etiam Americam, accersenda & con-
quirenda fuisse. At nihil obstat, quo minus isto tempore ea-
dem, vel per terram, ipsum accepisse statuamus. Credibile e-
nim est, & vero prorsus consentaneum, ante diluvium terram
pluribus, quam nunc, continentibus cohesisse, ita ut ab una parte
ad alteram homines & bruta simul permeare potuerint. Tanta
enim tamq; immensi aquarum effusione, terra marisque confusio-
ne, terram non modo corruptam, verum etiam multis locis con-
cussam ac laceratam fuisse, nemo sanus dubitat, ratio ipsa dicti-
tat. Quid pluvia sepe una possit, ut ruptis aggeribus fortissima
quaevis repagula perfringat, structuras ingentes diruat, imma-
nes & inexsaturatas voragines efficiat, experientia plus satis
confirmat. At, inquis, si verum hoc, si maxime per terram ad-
huc coherentem animalia ex diversis mundi partibus vel adve-
nerint ad Noahum, vel perducta fuerint; dubium tamen non
minus istud emergit, quomodo ad terram quaeq; suam, post dilu-
vium fuerint reversa? Respondeo: partim vi propria; par-
tim aliena. Propria ideo, quod nec post diluvium maria unda-
que fuerint tantae amplitudinis, aut terrarum loca qualibet tan-
ta intercapedine, quantae nunc sunt, determinata. Mutata
hic in annos plurima fuisse, historiarum monumenta sacis super-
q; testatum faciunt. Nimirum ubi aquae antea fuerunt, terra
postea exstiterunt. Ubi terra antea, postea aquae aut maria.
Seneca scribit, Therae & Therasiam Insulas non ante in mari
visas; sed sua aetate, multis spectantibus, natas fuisse. Totam
Aegyptum, progressu temporis, e mari produsse, Herodotus confir-
mat, quando ipsam *δι' ἑγῶν ποταμῶν*, fluvij donum appellat; aitq;
maris sinum fuisse: quod & Aristoteles confirmat. Terras ipsas
frequen-

frequenter & mare interrumpit: ademit Siciliam Italia, Cyprum
Syria, Eubœam Boœtia, Eubœa Atalantem & Macrin, Besbicum
Bithynia, Leucosiam Sirenum Promontorio. Abstulit & In-
sulas mari junxitq; terris, Antissam Lesbo, Zephyrium Halicar-
nasse, Ethusam Mindo, Dromiscom & Pernen Mileto. Quid di-
cam? Totum mare Atlanticum, Oceanum, in quâ, illum vastis-
simum, quem superare coguntur nautæ, cum in Americam na-
vigant, & qui veterem orbem, quem vocant, à novo discrimi-
nat, terram fuisse Plato, & ex Platone Plinius refert. In totam,
inquit Plinius, abstulit terras, primùm omnium ubi Atlanticum
mare est, si Platoni credimus, immenso spacio. Plato verò In-
sulam illam, quæ prius fuerat, & quam Atlantidem vocat, majo-
rem fuisse ait totâ Africa & Asia. Sed & idem Europam & A-
fricam estu maris ac terra motibus diuulsas, & mare illud
Atlanticum immissum fuisse scribit: adeò ut non immerito Sene-
ca, totam rem ita concludere videatur: Vides totas regiones à
suis sedibus revelli: & trans mare jacere, quod in confinio
fuerat.

Quæ cum ita sint, haut obscurum amplius, quomodo ani-
malia suas quæque in regiones pervenerint, easdemq; hodiè oc-
cupent; nempe olim, antequam diuellerentur, immissa, & vel
ultrò in eadem profecta. Fac a. terras non fuisse penitus conjun-
ctas; at certè propiores alicubi fuerunt, & non tam lata mariû
interstitia, adeò ut spacia isthæc homines navigando, bestia na-
tando aut volando facile superare potuerint. Quicquid tandem
sit, si vel marium & terrarum omnium, ydem qui nunc sunt,
limites & termini fuissent, fieri tamen potuisset, ut animalia
vel per continentes in remotissimas quasque regiones, & ad
ipsum novum orbem usq; penetrârunt. Si quis enim vel hodiè
conti-

continentes dicat coherere, non absurdus erit. Contrarium enim nullis haecenus sat firmis rationibus demonstrari potuit. Nondum enim omnis latitudo ad polum usq; arcticum peruestigata est. Et existimant Geographi, Floridam, quae pars est America septentrionalis, versus septentrionem quam longissime, & vel ad Germanicum aut Scythicum usque mare porrigi. Ex altera vero parte, versus antarcticum polum, quam longè terra, haecenus incognita, ex parte tamen inventa, se extendat, nondum satis constat: dies tamen & hoc ipsum tandem, haut dubie, si mundus aliquo usque adhuc duraturus est, revelabit. Nullum interim dubium, quin ab utraq; parte continentis cohaereant, vel certe non longè ab invicem absint. Viam itaque ostendi, quomodo non solum homines, sed & bruta animalia, propria vi, sponte ad remotissimam quaevis loca, post diluvium, venire, permeare aut reverii potuerint.

Sed nolim tamen quenquam hic existimare, bruta animalia ex arca emissa, uno impetu, secundum lineam rectam, quaslibet terra partes, in quibus jam sunt, petisse; adeoque non quievisse, donec itinere perfecto, terras & Insulas quasque remotissimas attigerint & occuparint. Non ita! Tempus omnia disponit. Itaque longi temporis & multorum seculorum tractu, nunc haec, nunc illa loca sensim occuparunt, & ubi commode visa sunt per pastum habitare, creverunt. Factum sepius, ut nascentibus Insulis & à terra firmâ semotis, animalia quoque in ista terra parte permanserint, ita ut nec natatione, nec translatione ulla opus fuerit. Quis dubitet in Sicilia, cum ab Italia, per terra motum, separaretur, omnis generis animalia fuisse? & fuisse

Et fuisse illa ipsa, quae nunc ibi sunt, sicuti scribunt reperiri in eâ
apros, capros, oves, boves, damas, feras alias magno numero.
Non ergo eò vel natatu pervenerunt, vel navigatione hominum
iraducta; sed ubi fuerunt, manserunt: non à terrâ migrârunt,
sed migravit terra firma & continens ab ipsis. Attamen, quod
alterum esse volebam, alienâ quoq; vi plurima animalia, tam no-
xia quàm utilia; hæc in commodum & usum; illa in pompam
& spectaculum, sæpè in terras & Insulas remotissimas deporta-
ta fuerunt. Quæ enim hominum non tentavit audacia? de-
sideravit & appetijt luxuria? DEUS terras & animalia que-
dam ab alijs tum terris, tum animalibus divulsit ac separavit;
homo contrâ divulsa ac separata conjungere ausus, & vel Ilium
in Italiam deportare annisus fuit. Quod ipsum (pauculis im-
mutatis) Venusinus Poëta sic effert:

----- DEUS absceidit
prudens Oceano dissociabili
Terras: & tamen impiæ
non jungenda rates transfiliunt vada,
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Japeti genus
ignem fraude malâ gentibus intulit.
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum est:
coelum ipsum petimus stulticiâ.

Transtulerunt itaq; & homines animalia passim, super mare è
terris in terras vecti. Sanè cum aves quaedam corpore grandio-
res, inq; volando tardiores, ut struthiones, ut galline & similes
mare volatu; feræ ac bestie alie quadrupedes graviores idem
natatu

natata superare non potuerint, & tamen in illis terra partibus, quæ à mari vastissimo cinguntur, & à terrâ firmâ longius absunt, reperiantur: necesse omnino est, nisi in ipsa terra olim à continenti divisâ, tanquam nativo in solo permanserint, ab hominibus eò traducta & illata fuisse. Quid mirum autem? cum ad usum, aut esum omnia homini divinitus sint concessa. Certè in hos fines Indi & Americani hodiè habent, intra seculum illata, magno numero, antea ipsis nunquam visa. Et nos Germani Indorum gallinas & gallos, mensarum nostrarum delicias, habemus & speciem satù producimus & conservamus. Neque obstat, quòd quaedam genera minus utilia, imò noxia, non videantur fuisse transferenda. Nam, quòd dixi, ad spectaculum & pompam homini nihil etiam satis fuit. Ad quid enim leones & pardi? ad quid cercopithecii, cynocephali, callitriches & reliqua simiarum genera? & tamen ex Æthiopico solo, quamvis in eo libentius vivant & generent, ad nos usq; perferuntur. Imò quò magis ferum animal, eò magis suam in eo vincendo & vinciendo industriam & vires homo probavit, adeoq; nullum etiam intentatum reliquit. At quæ noxia habentur, ad usum etiam quendam, imò ad esum quandoq; adhibentur, aut si non ad esum, certè ad usum, ratione pellium, aut partium aliarum, quibus homini variè prodesse possunt. At navigationes, inquis, olim tales ac tante non fuerunt, quales ac quantæ hodiè sunt Lusitanorum, Belgarum aliarumq; nationum. Esto. attamen fuerunt & olim, haut certè minima. Meminit utiq; scriptura navigationum Regum Juda, Salomonis & Josaphat; Ochozie itè, Regis Israël; Arabum item, ut ex Divi Jobis historia apparet, in Ophir, quam aliqui ipsam Peruviam putant, auspicijs Caroli Quinti Imperatoris gloriosissimi priori seculo repertam; factâ

H

voce

voce PERU ex OPHIR, non difficili, neque inanimata litterarum metathesi. Ex profanis Strabo, etiam Homeri aetate, quam Chronologi doctiores ante Josaphati tempora collocant, in Indiam navigationem susceptam fuisse scribit; idem singulariter Eudoxi Cyziceni in Indiam navigationem describit. Plinius vero suo tempore, totum occidentem navigatum fuisse confirmat.

In istas, animalia Americana nulla fuisse reperta in alijs regionibus: non ergo fuisse ex illis in Americam translata. Esto utrumque, an propterea non fuerint in arca? Non pretendemus, quod alij existimant, ejusmodi animalia, progressu temporis, in veteri orbe fuisse extincta. Hoc solum regerimus, quod hic de America dicitur, id Europe, Asia & Africa esse commune. Nam in singularum regionibus quibusdam bestiae reperiuntur, quae in alijs per naturam non sunt; ita ut si sint, manifestò constet, illuc aliquando fuisse translatae. Exemplo nobis sit Elephanta, qui cum tantum repertus sit in orientali India, quin ex ea ad alias regiones translatus sit, dubium non est. Similis est ratio Peruanarum ovium, ceterorumque in ista mundi parte animalium, quae terras istas temporis progressu solas tenuerunt, non modo quod terra & pastus; sed & aer ibi ipsis accommodatior. Quid multis? Divina providentia omnia sic sunt disposita, ut quovis tempore, nunc hic nunc ille locus, pro ut commodè habitari potuit, ab hominibus & brutis incoleretur, inhabitaretur.

PROSTRATIS copijs Americanis, via facta, ut puto, animalibus fuit, quae nempe vel ex America, (ni & alibi fuerint) ad Noahum pervenire, & ab ipso ad quasvis terrae partes, temporis progressu, reverire potuerint. Perrumpamus nunc caetera obstacula, ut liberum veritas comeatum & saluum conductum,

ductam, vel potius, ut magis latinè & pro re nostrâ loquar, publicam fidem, habeat. Obstacles, quæ dixi, reliqua, hypotheses quædam sunt, partim falsæ, partim probabiles seu contingentes, tum ad diversam animalium generationem asserendam, tum ad diluuij particularitatem inferendam directæ.

Generatio animalium, ut glaucoma infirmiorum oculis obducatur, asseritur, ne sit opus statuere, omnia animalium genera in arca fuisse. Itaq; duplex causa prætenditur: NATURA & DEUS ipse. De natura perhibetur, posse eam ex duorum generum commixtione tertium producere: sicut ex insitione plantarum ducitur tertia; ex commixtione asini & equæ tertium; imò ex convenienti materiâ inanimatâ, res prorsus nova atq; animata existat. Atq; hoc usq; adeò verum esse, ut, arte naturam imitante, hominem non nemo machinari ausus fuerit: & quod postremum erat, vento etiam solo equas alicubi concipere.

Equidem nature vim sentio satis validam, satis miram: quid mirum? si & ipse Conditor, teste Prophetâ, ADMIRABILIS. Nec miror, vos Philosophos & Medicos hæc ipsa mirari, imò satis mirari non posse, & de occultis nature miraculis tam multa commentari & scribere. Sed hæc, quæ allata sunt, ad rhombum nihil, imò pleraque vana & nihili. Ex commixtione enim specierum, quantumvis tertium, nunquam tamen tertia species existit. Formæ siquidem, ut cum Philosophis loquar, & οὐκ ἔστιν, quarum proprium est separare, in unam coalescere speciem, aut novam ex se dare non possunt. In insitione plantarum seu arborum duo sunt, eaque quodammodo distincta: alterum silvestre, alterum hortense, pleraque tamen ejusdem generis.

Utrumq; suo loco distinctum manet, & ne quidem tertium ex-
istit: sed hortense, quod fructum fert, in silvestri solummodo
radicatur, & ab ipso communem succum trahit, in se percoquit,
alterat, suae naturae aptat. Inferius silvestre manet; nil nisi sil-
vestre ex se spargit. Similiter in animalibus species ἕκαστων, cum
sint actus & ἐνέργεια, duae aut plures unum ἕκαστον non cōstituunt.
Nulli enim speciei naturali, quae naturalis, addi aut detrahi quic-
quam potest, quin tota nulla sit. Itaq; mulus etiamsi ex equa &
asino nascatur, sine illis non nascatur, tamen neutrum est, nec a-
sinus, nec equus, licet alterutri similis. nec κύνες ἢ λύκοι utrumq;
est, sed neutrum, nec canis, nec vulpes; licet & alterutri similis.
Ergo tertium quidem fit; sed non species tertia. Unde nec ad
modum speciei propagatur. non enim ex mulo naturaliter mulus;
sed ex equa & asino demum nascitur. Itaq; quicquid illud est,
quod non natura speciem; sed mixtura tertium fecit, in se sterile
est: adeoq; cum creatum non sit; nec naturaliter conservari hoc
est, per modum conservandis speciebus proprium, propagari
debit. Si quis tamen speciem tale animal appellare voluerit, ali-
quo sensu non repugno. Quod verò haec species, quae ex mixtione
fiat, etiam praestantior existat, eam ratione concedo, si certo com-
parationis respectu intelligatur. Aetate mulus utrumq; paren-
tem vincit, nec tamen ideo species, nec species nobilior. Longe-
vitas enim nec speciem, nec praestantior em eam facit; alias cer-
vus, imò corvus & cornix ipso homine praestantiores essent. Quòd
autem mulo vita longior, causa haec obscura, quòd mixtura haec
calidum & humidum magis uniat & in fortiori utraq; natura
arctius quasi compingat. Accedit sterilitas & radicalis humidi
conservatio. Certè enim quae generant, eo ipso vita suae hanc pa-
rum subtrahunt: unde & ipse Philosophus salacia & venerea
quavis

quavis animalia vita brevioris esse judicat. Quare vide-
mus, varietatem animalium non ex mixtione specierum existis-
se; sed genera potius perfectiorum singula, quae hodie reperiun-
tur, in arcâ illâ Noë conservata fuisse. Et hoc est, quod Spi-
ritus sanctus, cum genera recenset terrestrium, volatilium repti-
lium, non otiosâ repetitione; sed ad inculcandam rem & hoc du-
bium evellendum, ubiq; addat: secundum genus, secundum
speciem suam: ne ullam generum aut specierum confusionem fa-
ctam fuisse planè edoceamur. Insecta hic immisceas, & quod

----- de putri viscere tauri

florilegæ nascantur apes,

ex Arist. ei fabula declaras. Sed nunc non erat his locus. De
perfectioribus enim animalibus loquimur, quae ex maris & fœ-
minæ cohabitatione unice procreantur. Leonem verò, equum,
hominem ipsum, ex putredine nasci, tam est verum, quam ve-
rum est ex muscâ fieri elephantum & ex pulice cervum: quam-
vis hoc fortassis magis quàm iudicium possibile censeatur, cum ani-
mal in animal citius transire, quàm simplex putridum in animal
perfectum posse videatur. Ex glebâ quidem terra homo creari,
divinâ virtute, potuit; sed divinâ virtute; & ad speciem semel
constituendam. Itaq; ex terrâ aut aliâ materiâ deinceps nasci
& propagari non debuit. Quae igitur Paracelsi, si Paracelsi ta-
men mens ea fuit, dementia, ex furnulis arte hominem promitte-
re? abominanda profectò, inq; DEUM creatorem impia; in
hominem ipsum contumeliosa!

Ἰσοδὲν γένεσθαι ἴσμεν,

sacrâ & profanâ scripturâ decantatum est. hoc cine ergò ex vino
& similâ in furnulis excoquatur? Apage cum nugis & fabulis!
Sed tamen & Virgilianas equas videamus: quas Virgilianas

H 3

cum

cum dixi, omnia dixi. Non mentimtur quidem Poëta, sed ta-
men commodè, in loco & sine vitio fingunt, vel potius res faci-
unt: unde Factorum nomen merebantur, Julio Casare Scaligero
iudice. Scio Plinium, Varronem, Columellam illa pro merce
Physicâ venditare. Sed ego non sum emptor illis. Tam enim
verum puto animal ex vento nasci, quam ex vento constare.
O ventos fertiles & fecundos! qui si hic spirarent. Sed mitto
fabulas. Si ex vento, si è putredine, si ex aliâ quavis materiâ a-
nimalia DEUS conservari voluisset, utiq; nec arcâ, sed nec ani-
malibus residuis ullis opus fuisset. Ventorum sat fuisset & putre-
dinis ubiq;, ex quibus omnia, non aliqua, fieri potuissent. Quid
verò Augustinus in consortium illud trahitur, quasi & ipse ani-
malia, post diluvium, è terrâ producta fuisse asserat; neminem,
quenquam id facile permovebit. De imperfectioribus nemo est,
qui dubitet. Producit natura locustas, scarabæos, muscas, bru-
chos, culices, erucas. neq; n. de illis cum quoquam litigamus. nec
mures quidem aut glires in arcam assumptos fuisse credo. dixe-
rim potius ex eâ eductos, quippe natos in ea, quam introductos
fuisse: sicut in navibus hodièq; nasci, nautarum experientia com-
probavit. Perfectiora verò nata aut producta fuisse è terrâ, nec
Augustinum credo simpliciter asseruisse, nec quenquam sanum.
Naturam naturatam, ut vocant, absolvi. Naturantem accedo,
DEUM videl. ipsum. Hunc potuisse, per omnipotentiam suam, a-
nimalia post diluvium nova producere, nemo est, qui ambigat. at
produxisse quædâ, quis nobis fidem faciet? Semel creavit omnia:
postquã v. creavit, ab omni deinceps opere quievit, quæq; crea-
vit, deinceps conservavit. Conservavit igitur & in diluvio, &
post illud: conservavit ideò, ne novâ creatione opus esset. aliàs n.
non aliquot tantùm, sed omnia animalium genera, & inter ea ho-
minem ipsum de novo condidisset.

Quid

*Quid video, Auditores? heu mihi! Gigantum, pygmao-
rum, mulorum agmen! Fugioné an sto? Sto utiq; & Gigan-
tes illos vel Davidis fundâ prosterne; Pygmaeos cum mulis, asini
maxillâ cum Simsone abigo. Gigantes & Pygmei alia hominû
genera, aut species homini disparata non sunt. Nec condidit D E-
U S gigantes, ut gigantes, hoc est, primos homines tantos, quod
Berofus somniare visus est. Nati sunt Gigantes, quod quo tem-
pore primûm factum sit, ipsa & scriptura innuit. Homines itaq;
gigantes sunt; sicut & pygmei, quantitate diversi, illi exceden-
te, hi deficiente. Fuerunt itaq; in arcâ non actu, ut cum Philo-
sophis loquar, sed potentiâ, cum ex homine staturâ minori ma-
jor, majori minor nascatur, nullo sanè miraculo, licet in nimio vel
excessu vel defectu, non sine admirandi, non sine monstri alicu-
jus, aut saltem monstriosi nomine. Mulus verò ex animalibus
creatis productus ac generatus; species à ceteris distincta non est,
sed alterutri similis. Quo autore ceperit, ubi & quando, Moses in
Genesi c. 36. exponit, ubi ait, Anah quendam, ex Esâvi posteris,
invenisse in deserto, cum pasceret asinos Sibon patris sui. Animal
hoc quidem ex bigeneribus; sed non per se propagabile, ut dixi-
mus; nec secundum naturam. Quocircâ in sanctâ linguâ mulus,
secundum quosdam, à MUL, quod circûcidere significat, ducitur,
eò quòd à naturâ quasi excisus videatur: secundum alios, altero
respectu à MAAL, quod est prevaricatio, derivatur, eò quòd per
quandam transgressionem ordinis nature nascatur: sicut &
μῦδεν Græcis de turpi commixtione dicitur. Talia igitur mon-
stra bigenera ex alijs quoq; fiunt, ut Hybrida ex apris & porcis;
Tityrus ex ove & hirco; Musino seu Musimo ex caprâ & ariete;
sed nempe monstra hæc potius, quàm animalia. Atq; hoc etiam
agmen absolvi.*

GRAN-

GRANDIS adhuc machina demolienda, Auditores, diluvij videl. particularitas. Grandis hæc, inquam, machina; sed evertemus. *DEUS* se deleturum omnem substantiam, quam fecerat, à facie terra, prædixerat. Omnem atqui fecerat. annon ergo omnem delevisset? annon ergo diluvium ad omnes se extendisset? omnes, imò omnia obruisset? Rupti sunt omnes fontes voraginis magna. Cujus autem voraginis? maris, inquam, universi, quippe à quo omnes & fontes & flumina existunt, inq̃ ipsum revertuntur. Hala Saxonum, unici fontis Salini inundatione, aliquando perÿsse scribitur: quid fiat, si omnes in universo mundo fontes rumpantur? quod hic factum. Ruptura hæc est, quâ fractis legibus & repagulis, vi aquarum immoderatâ & intolerabili, qualibet, non fontes solùm, sed & flumina, & lacus effunduntur et longè lateq̃ omnia occupant. Nec ista solùmmodo; sed & universum mare, Oceanus ille magnus, & dependentia ab eodem maria minora, ruptis terminis, per ruptis aggeribus effusa sunt omnia. In locis maritimis nimis sæpè experiuntur, quantum unus aggeris ruptura damni inferat toti regioni. Anno supra millesimum quadringentesimum quadragesimo sexto in Hollandia, prope Dordrechtum, maris inundatione, rupto aggere, sedecim parochie submersæ sunt, & ultra centum millia hominum eo ipso diluvio perierunt. Anno supra sesquimillesimũ duodecimo, in Comitatu Oldenburgico, mare vicinum, rupto aggere, septem vel octo, circiter, pagorum amplissimorum spacium absorpsit: cujus tamen partem benè magnam, nõ ita pridem, seculo scilicet elapso, Perillustris ac Generosiss. Dn. Comes ANTON-GUNTHERUS, cui *DEUS* vitam & incolumitatem largissimè propinet, miro artificio, sumptu immenso, voracissima bestia ademit, & continenti restituit; quin & eo ipso, quod mirandum, Comitatum suum

terra

terrae Jeverensi itidem sua, non sine plurimorum invidia, aeterna sui nominis memoria, connexuit. In Frisia Orientali prope Embdam anno supra millesimum ducentessimum septuagesimo septimo, rupto itidem aggere, pagi triginta tres, una eluvione suffocati, etiamnum sub undis sepulti jacent. At hic in universali diluvio, nec maria sufficere potuerunt; sed & Cataractae seu fenestrae caeli apertae sunt. Moses, ex Spiritus sancti afflatu, nobis revelat, aquas supra caelos contineri, per firmamentum ab aquis inferioribus divisas. Ex quo regius Psalter, aquas omnes, quae super caelos sunt, laudare nomen Domini jubet. Has igitur aquas, si quis per illas caeli fenestras, in terram effusas fuisse credat, a veritate, meo judicio, nihil aberrabit. Unius nubis ruptura, si contingat, D E U M immortalem! quanta in totam aliquam regionem inde perniciēs! Vidimus ipsi, & experti sumus aliquoties. Quid verò nubes ad illas caeli Cataractas? Sed ne Cataractae haec satis esse debuerunt, quin & pluvia quadraginta diebus & totidem noctibus continuata supervenere. Tempestas, & impetuosior unius noctis pluvia quid possit, Thuringia nostra experta est, anno potissimum supra millesimum sexcentessimum decimo tertio. Ubi certè cum Poeta exclamare fas fuit:

Qvis cladem illius noctis, quis funera fando
explicet, aut possit lacrymis aequare labores?
Hoc verè nobis diluvium fuit, ad miliaria decem, secundum longitudinem; ad octo secundum latitudinem, ut fide digni scribunt, extensum. Et tamen, quantum hic aquae fuit? hemina aut sextarius ad mare universum. Illic in universali cataclysmo, ex omni parte mundi, aquarum agmina confluxerunt: in terris fontes & Oceanus ipse ebulliens, in omnia se diffuderunt: è caelo
I
aque

aquæ, supra firmamentum collocata, non aliter eruperunt, ac si vase confractò, aut utribus ruptis, quæ continentur, subito exundant ac diffluunt: ex aëre & nubibus pendentibus, ne quid deesset, pluviarum rivi diuturno fluxu ac lapsu continuârunt. Et quisquam dubitet, mundum uniuersum hoc ipso diluuiò occupatum fuisse? Si quem tamen dubitationis somnus adhuc urgeat, illum, supposito uno adhuc puluinari, edormire iubebimus. Operti sunt, ait ipse Spiritus sanctus, omnes montes excelsi, qui fuerunt sub toto cælo, aquis cubitorum quindecim altitudine super eminentibus. Age metiamur montes, saltem aliquos. Plinius & Solinus de Casio Syria monte referunt, tantæ ipsum esse altitudinis, ut summo in vertice, è quartâ vigiliâ, vel mediâ nocte, solis ortum ostendat. Aristoteles, Mela, Plinius & Solinus confirmant, Athonem Macedonia montem tantæ altitudinis esse, ut è Macedonia in forum Myrrhina in Lemno Insulâ oppidi, umbram projiciat; cum Athos ille à Lemno octuaginta sex milliariibus distet: idq; vero consentaneum esse Geographi & radiaturæ magistri probabiliter colligunt. Julius Caesar Scaliger, ex quorundam narrationibus refert, Tenarissam, unam ex Canarijs Insulis, ad quindecim Leucarum celsitudinem assurgere, quod efficiat milliaria plusquam sexaginta. Solinus Atlantis montis cacumina ad usq; lunaris circuli viciniam assurgere refert: nec dissimilia sunt, quæ de eodem Herodotus, Dionysius Afer ejusq; Scholiastes Eustathius tradunt: unde & cæli columen vocarunt. De Olympo, qui quod ad cælum videatur pertingere, Ὀλυμπος ἡμετέρος, totus splendidus dictus fuit, & hinc ipsius cæli nomine venit, nihil addam: ut nec de Sloto monte, sub ipso polo sito, quem mundanorum omnium altissimum scribunt. At si istos omnes aquæ superârunt, quid in mundo potuerit esse reliqui?

reliqui? Scio, & fateor, quaedam de hac montium altitudine fabulosa censerent: scio etiam quantum summi cuiusque montis perpendicularium Cleomedes faciat, quod nempe ultra quindecim stadia non assurgat. Sed tamen si maxime hac demus; & si vel eo usque ascenderint aqua, imò supra etiam si ascenderint, quod Spiritui sancto credimus, quam terrae partem, quod planum, quos colles, aut monticulos ab aquis immunes mansisse putabimus? Et sanè certà quadam excrescentia mensurà montes quique altissimi, hoc uno sine, contegi debuerunt, ne quis vel homo, vel brutum in montis alicujus vertice servari, adeoque commune exitum evadere posset. Itaque Gigantes, etiam si in ipsis montium verticibus erecti stetissent, illud ipsum tamen evitare nulla ratione potuissent. Cum igitur terra uspiam relicta; sed totus ipsius ambitus aquis involutus ac penitus submersus fuerit, nec animalia uspiam remansisse, certum ac indubitatum relinquitur. Atque hoc est, quod disertis & exsertis verbis vir DEI Moses testatur, cum ait, ab homine usque ad jumentum, usque ad reptile, usque ad volatile caeli omnia fuisse deleta, ita ut TANTUMMODO Noah, (Noah inquit TANTUMMODO) cum illis, quae cum eo esse ac superesse debuerunt, fuerit relictus.

PROFLIGATIS ergo hoc modo hostilibus copijs, receptui canerem, AUDITORES; nisi me revocarent & in apertum quasi campum denuò provocarent excursorum quorundam phalanges, ex priori conflictu reliquiae, vel ut planius dicam, ex propositis emergentia aut certe residua quadam dubia. Intelligitur ex dictis, omnia, quaecumque hodie reperiuntur, animalium genera in arcà fuisse; nec ullum uspiam, exceptis imperfectioribus, & inter perfectiora piscibus defuisse, aut uspiam superfuisse.

Hic ergò, ut mens humana nihil intentatum relinquit, quin pro-
sùs exquirat, quærere quispiam ulterius possit: Quid unâ in ar-
câ, adeò angustâ, omnia animalia simul, fera cum mansuetis,
munda cum immundis esse, quibus victitare & tamdiu quidem
potuerint? Singulis, quantum potero, occurram.

Primum erat de angustia arca: de quâ questionem olim
movit Apelles, Marcionis discipulus, impossibile judicans, ut tam
arcto breviq; arca hujus spatio, tot animalium genera, unâ cum
cibus, toti anno sufficientibus, contenta fuerint, cum vix quatuor
de Elephantis capiendis ac sustentandis ejusmodi structura suffe-
cerit: ac propterea fabulosa ea omnia impius ac nefarius homo,
putavit, quaecumq; ea de re Moses enarrasset. Sed audiamus Spi-
ritum sanctum, qui quanta arca illa fuerit, ipsemet architectus,
nobis accuratè describit, & tantum non ob oculos statuit, ut ipsi
mensuremus, pensulemus, trutinemus. Ait, trecentorum cu-
bitorum longitudinem; quinquaginta cubitorum latitudinem;
triginta cubitorum altitudinem fuisse. De mensurâ ipsa, cubi-
to nempe, Origenes suam jam olim sententiam dixit, Mosén videl.
de cubito loqui non usuâli, sed Geometrico; cubitum autem Geo-
metricum sex usuales adæquare. Quæ si ita sint, ut probabili-
ter ex multis colligitur, DEUM immortalem! quanta fuerit
arca hujus magnitudo! At capiamus usuales. Cubitus, si ra-
tionem Græcorum sequamur, duos pedes habet; si verò Latino-
rum sesquipedem. Sit ita; capiamus minorem, quem Geome-
træ hodiè ferè retinent, sesquipedem, mensuram palmorum sex,
digitorum viginti quatuor; hoc est ulnam nostratam ferè; ca-
piamus, inquam, hanc, & fabricam, juxta præscriptum, exstrua-
mus; non erit ea usq; adeò exigua.

Longitudo plateæ hujus novæ, quam vocamus, cubitorum
seu

seu ulnarum est centum triginta octo. Arca igitur longitudi-
nem ejus bis habuit, cum ulnis adhuc viginti quatuor exceden-
tibus. Latitudinem quinquaginta cubitorum hinc aestimare
licet. Ea à novæ hujus Scholæ muro extremo seu à plateâ per
porticum, quâ ad templum vicinum itur, ultra medietatem tem-
pli in lato mensurati, pertinet. Mansiones in arcâ tres si equa-
lis altitudinis fuerunt, cuilibet cubiti seu ulnæ decem responde-
runt: in univèrsum enim triginta ulnarum fuit. Altitudo i-
gitur primæ mansionis pertigisset ad muri Scholæ nostratis, è re-
gione sitæ, (cujus natalem hodiè celebramus) primam usq; mar-
ginem seu extremitatem, **bis an den ersten Absatz** ubi fenestræ
incipiunt. Itaq; arca in univèrsum, secundum hanc brevissi-
mam mensuram, longitudinem plateæ benè longæ, habuisset: lati-
tudinem verò tantam, quantam vix platea habeat ulla: altitudi-
nem vel Scholæ, vel Curie nostræ. Quanta igitur animalium
copia in tantâ capacitæ comprèndi potuerit, in trinâ præ-
sertim cavitæ, facile cuius aestimare licet. Minimè igitur an-
gusta censenda est arca hæc, siquidem navis omnium, quæ uspi-
am in mundo exstructæ fuerunt, maxima & capacissima habe-
tur. Itaq; & animalium genera omnia, cum victu & alimentis,
facile comprehendit. Unico stabulo quot oves concluduntur?
unâ cavæ, quot aves? uno columbario quot columbæ? una cor-
te quot gallinæ? Et quot avium genera hoc uno in Museo, non
adèd amplo, contineri ac circumvolare posse putabimus? Non di-
cam, quod aliqui obvertant, fieri potuisse, ut relictis grandiori-
bus bestiis, collecti fuerint illarum pulli: idq; si non in univèr-
sum, majori saltem ex parte. Neq; enim instituti necessitas vi-
sa requirere, ut adulta tantùm colligerentur. Sanè multò com-
modius erat & colligere, & in arcâ congregare & sustentare
pullos,

pullos, quàm corpora, plena, vasta, ferocia. Nihil affirmo: cum sacra historia nihil vel innuat, vel asseveret. Quicquid sit, multa mansueta oves, quod dici solet, congregantur uno in stabulo. Es gehen viel gedultiger Schaffe in einen Stall. Sed nempe hinc alterum dubium emergit, quomodo fera cum mansuetis vivere & esse potuerint? Nimirum cicurare & compefcere DEUS omne ferum potest. Itaq; valde proba illud, quod jam modo responsum fuit, illum, qui justificat impium, etiam feritatem & sevitiâ brutorum cohibere potuisse. Factum igitur hic, quod Amosius Vates parabolicè de Christi regno vaticinatur: Habitabit, inquit, lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus ducet eos. Sed ne iterum omnia miraculosè facta putemus, certum & ex naturâ brutorum ipsaq; experienciâ manifestum est, tum, cum captas se fera sentiunt, nihil, quantumvis ferocissimas, moliri. Lupus ovi captus non nocet; leo cancellos ligneos & leves non perfringit; equi quantumvis aliâs ferocientes, in rate seu navi mansuetissimi fiunt, manum, & hominem, & proximum quodvis animal facile ferunt. Idem hic multo magis fuit, ubi periculum etiam præsentissimum, idque divina inspiratione, adhuc magis senserunt. Quid dicam,? omnes quantumvis feroces bestia periculis cicures fiunt, & tanquam oves mansuete. Ergo & hic, juxta proverbium Germanorum, antea citatum, facile congregari & simul esse potuerunt.

At munda, (quod præterea erat dubium,) cum immundis, qui esse potuerunt? Immundities ad unum respectum trahi non potest. Aut enim corporis figura talis est, ut animal reddat immundum, qualis est forma Draconum, Crocodilorum, Serpentium, & aliorum, quæ ipso adspectu oculis nostris sunt

sunt abominabilia, aut victus sic est impurus ac detestabilis, ut animal immundum constituat: sic sunt immundi sues, & quotquot vel ex raptu & cruento, vel ex immundo vivunt. Aut denique immundum censetur animal ex eo, quod usibus hominis maximè incommodum est. Talia sunt venenata, hoc est omnia, quae homini non solum comesta; sed vel solo tactu aut aspectu nocent. Venenosa igitur haec cum non-venenatis quomodo vivere potuerint? dubium hic videtur maximum. Sed potuerunt, DEO sic providente. Sicut enim feras ille cicurare potuit, ut vel sponte ad hominem venirent, atque ita tranquillare, ut cum mansuetis viverent: Ita etiam venenam cohibere & retrahere potuit, ne cuiquam noceret. Nec venenosum animal alteri cuiquam nocet; nisi illi solum, ad quod ipsi singularis est utilitas. Et si in silvis venenata simul cum non-venenatis aliàs semper degunt, cur non etiam in parte arcae hujus capacissima, ad tempus, quibusdam, certo spatio & loco contenta, sine nocumento cohabitarent? Sed nec omnia quidem venenosa assumpta puto; sed bina demum & bina, hoc est illa, in quibus sexus perfectè distinguitur, quaeque perfectè maris & feminae conjunctione procreant. Reliqua ad insecta pertinent, & ex putri materia facile generantur. Accedit, quòd loco quolibet convenienti fuerint collocata. Noxia ergò & immitia, ut ursi, leones, tygrides, & similia in infimâ arcae mansione; mitia & tractabilia in mediâ; homines cum domesticis & avibus in supremâ, sine omni dubio, fuerunt contenta. Quibus autem victitarent, expresse vir DEI, Moses ex ore ipsius DEI, explicat: nempe non miraculosè, sed ex omnibus escis, quae mandari possunt. Quamvis si dicamus, non solo pabulo, non solo cibo; sed & benedictione pabuli, & cibi divinâ & singulari, quolibet

qualibet pasta & conservata fuisse, nihil à vero aberrabimus. Certè homo omni tempore non solo pane vivit, sed omni verbo exeunte per os D E I. De carnivoris verò, id quod jam antè responsum fuit, urgeo, nempe & ipsis curà Noahi prospectum, fuisse, juxta mandatum D E I: Tolles tecum ex O M N I esca, quæ mandari potest. Interim non obstat interrogare, an etiam quedam ante diluvium bestia carnivora exstiterint, cum esus carniùm homini nondum fuerit concessus? Etiam si verò constet, ante diluvium carnibus pariter ut nunc victitasse, quid impedire propositum D E I potuit, quò minus hanc illis feritatem ad tempus adimeret efficeretq, ut in arcà leo & bos, aquila & columba, lupo & agnus, ursus & vitulus non modò pari mansuetudine commorarentur, sed & eodem cibo alerentur? sicut ex eodem Prophetà eadem huc applicamus: Vitulus & ursus pascentur simul requiescent catuli ipsorum. Et leo quasi bos comedet paleas. Non id factum assero; sed quid fieri divinà ordinatione potuerit, ostendo.

T A N D E M verò qui tam diu simul & vivere & victitare potuerint, quid opus est querere? Potuerunt utrumq, per & hominum & bestiarum altorem, qui est omnium tam Conservator, quàm Creator, adeoq, Provisor communis & Opt. Max. Qui enim post hæc tempora Mosen; post Mosen, bene longo tempore, Eliam sine cibo; filiorum Israël propè innumerabilem multitudinem solo Mannà cælitus depluto, annis quadraginta in locis desertis potuit sustentare; qui septem vel quinque panibus aliquot millia hominum satiavit: annon is conquisito mediocri victu, per annum solummodò unicum, animalia in arcà congregata sustentasset? Factum omnino, vel nullo, vel sanè non magno (quod tamen non extenuationis, sed collationis sensu proloquor) miraculo:

culo: cum natura paucis sit contenta, & continua animalium
quies pastum etiam quodammodo minuisse videatur.

Sed jam tandem, Auditores, recepti canimus, Vosque
Censores Victoriae nostrae accersimus. Vos videte, vos cogno-
scite, utrum officio nostro satisfecerimus, nec ne? Penes vos
esto iudicium. Videmur copijs hostilibus lumbos fregisse: ani-
malia in arca omnia defendisse; vindicasse singula: nullum
contra genus amisisse. Vicimus ergo, & quia vicimus, vestro
favore & applausu, triumphamus. Quid autem triumphare
me dico? Suspendo aliquantulum triumphum hunc, & me i-
psam reprehendo, quod omnia & singula animalium genera, quae
hodie reperiuntur, in arca fuisse contenderim. Certè enim a-
liquod in ea non fuit. Vix ergo me contineo, quin priora revo-
cem, & dicam quoddam non fuisse, ex universo illo caetu exci-
piendum. Quodnam illud sit? vos tacite me interrogare, ani-
madverto. Ego vero vobis, Auditores, divinandum relinquo.
Sed tamen ut sint vobis indicia, descriptionem addo, non meam
quidem, sed Lutheri nostri, pure Germanice expressam:
**Es sind die Teufel / die der Teuffel unserm Herrn Gott an den
Adamspeß setzet / mit einem schwarzen Schilde / simulatione
videlicet penitentiae.**

Audiamus & Bernhardum, quem
Lutherus Monachorum omnium pyssimum appellat: Sunt, in-
quit ille, humiles sine despectu; pauperes sine defectu; bene ve-
stiti sine solitudine; delicate pacis possessores, sine labore; alijs
adulantes; alijs detrahentes; mordaces, ut canes; dolosi, ut vul-
pes; superbi, ut leones; intrinsecus lupi rapaces, mellis dulcedi-
nem, id est inanis gloriae & latentis lascivia, ut ursi, quarentes;
sine auctoritate iudices; sine visu testes; falsi accusatores, omni
veritate carentes. Intelligitis, credo, Auditores, de quo ani-
mali

K

mali loquar, vel potius loquantur Patres illi. Hoc ergo in arcâ non fuit. Quid mirum? quia monstrum; quia, quod addo, sine pari. Singularum enim animalium paria, masculus & femina, & ipsi adeo homines viri & maritati in arcâ fuerunt. Hoc verò sine pari est, seu, ut Propheta loquitur, ad desiderium mulieris animum non adjicit. Itaque nec à DEO conditum; sed eadem ratione, quâ mulus, genitum. Ergo ut mulo, sic & illi locus in arcâ non fuit. Sed nimis diu in his ipsis Vos, Auditores, detineo, & vestrâ patientiâ abutor. Ad finem propero, & quod restat, ab arcâ Noë ad nostram accedo, vel potius revertor.

ARCAM in hoc loco DEUS ante duos & quinquaginta annos fieri curavit. Nimirum quia cogitatio hominis mala à pueritiâ suâ: ideoque Noë noster, Præco justitia, Magistratus videlicet hujus Imperialis Civitatis magnificus & amplissimus, instinctu & nutu DEI omnipotentis, eandem exadificare pro suâ prudentiâ voluit, ex officio debuit, ut juvenus ad malum prona, recti ignara, rectè informaretur, ad optima quæq; conformaretur, atque ut ipsa & posteritas, à temporali & eterno exitio, benè informata & conformata, conservaretur. Fundamenta arcæ illius Scholasticæ hoc ipso die jecit, die inquam hoc, quo ante termille nongentos quadraginta duos annos, Noë ille Patriarcha, cum omni animalium genere, ex arcâ egressus, DEO, omnium Servatori Optimo Maximo, Soteria obtulit, & fundamenta renascenti mundo prima posuit. Comprehensa in arcâ Noë omnis generis animalia, munda & immunda, fera & mansueta fuerunt: plura tamen munda, septena videlicet; quam immunda, utpote bina. Nos, ut arbitramur, in nostrâ quoque arcâ munda plura, quam immunda habuimus, educavimus, eduximus. Hereticos & Sectarios, puto, non eduximus; aut certè
minori

minori numero: vitio tamen non nostro, sed proprio illorum.
Eduximus autem & emisimus bonos quosq; in omnem statum,
sicut animalia Noah in omnem mundi angulum. Ex hac no-
strâ arcâ prodierunt Theologi; prodierunt Jureconsulti, pro-
dierunt Medici, prodierunt Philosophi, prodierunt Oratores, pro-
dierunt Poëta, prodierunt Viri Sapientes, Prudentes; Templis,
Curijs, Scholis, Vita hominum univ[er]se utiles ac necessarij: vix
bini fortassis, qui patriâ & ejus arcâ dedecori fuerint.
Tam felix, divino auxilio & gratiâ, Vestra, Patres Mulhusini,
arcâ hujus exâdificatio & conservatio fuit! Cum mitibus &
mansuetis, feras quasdam etiam habuimus aut habemus inter-
dum permixtas. Sed hoc nostram quoq; ad arcam spectat, feras
quaslibet ferocientes cicurare, mansuescere, com-
pescere! Et sanè:

Nemo adeò ferus est, ut non mitescere possit,
si modò cultura patientem accommodet aurem.

Sed tamen & mansuetè immansueta ingenia tractanda esse,
Seneca monet. Nobilis enim equus umbrâ quoque virgæ
regitur; ignavus ne calcari quidem concitari potest, inquit
Curtius.

Pucros monitu & formidine leni
pellexi. ait Ausonius.

Quicquid sit:

Ardua temperies, dura experientia, rarus
eventus, longo rerum spectatus ab usu,
ut regat indocilem mitis censura juventam.

Revertor ad institutum vestrum, Patres Mulhusini. Vos vitare illos, quos arca vestra inclusistis, si non ampliter, at frugaliter, certè liberaliter providentiã vestrã accuratis; & magis faceretis, non dubito, nisi arca nostra in immensi isto & catholico mundi belligerantis diluvio fluctuaret, & crebros fluctuum assultus & insultus pateretur. Filij Noe, Cives vestri escas etiam comportarunt hætenus, in cibum juventutis Scholasticae, hic educanda & alenda. O fiat amplius; nec pastus animalibus nostris tandem desiat! Vestrum hætenus fecistis, Mulhusini, Patres amplissimi, & Cives spectatissimi, fecistis ita, ut habeamus omnes omnibus, queis debemus, quas debemus, gratias maximas, immortales. Annos nunc quinquaginta in postremis mundi fluctibus arca nostra, olim perfecta, agitata, & DEO fortunante, medijs in undis conservata fuit & tranquilla: omnes, (quod laudi & honori tuo, ò JEHOVAH, decantamus!) omnes superavit scopulos; infra se montes, quos habuit altissimos, ex supremis fluctibus q. despexit, felicifaciliq; alite turbarum ac molestiarum syrtes; certaminum & rixarum charybdes vel statim deflexit, vel iisdem superatis, integra & incolumis tandem evasit. Sperabamus, imò adhuc speramus fore, ut salva item incolumisq; arca hæc nostra admõtes usq; Ararat pertingat,

----- sedes ubi fata quietas

ostendunt,

hoc est, ad finem usq; mundi, ad extremum & perfectum, extrema & perfecta nostræ liberationis terminum ac portum perveniat. Sed ecce jam denuò, post factum in cælo, mediã fermè horã silentium, hoc est post pacem religionis, seculo priori sincerè factam, sanctè juratam, religiosè observatam; ecce, inquam, nunc rupti sunt iterum omnes fontes abyssi magnæ & cataractæ
cæli

cæli Romani aperte sunt, pluvijs super terram emissis, fractis
legibus & repagulis, intolerabilis & immoderata vis aquarum
telluri suffusa. O tempora! O feros & efferos fluctuum as-
sultus! qui nostram hanc arculam, hanc ipsam naviculam Scho-
lasticam ad Syrtes trahere, ad scopulos priores denuò allidere,
in illis frangere, & vel omnes hujus non arca solùm, sed & ur-
bis incolas errorum Antichristianorum Oceano immergere &
catholico seu tyrannidis diluvio penitus opprimere, submerge-
re, enecare satagunt.

SURGE, DEUS Pater, excelsâ Dominator in arce,
atq; hanc, per **CHRISTUM**, medijs in fluctibus arcam,
eripe, ne allidat scopulis, ne devia Syrtes
incidat, & medio mergatur turbine ponti.

Auspicijs, Pater alme, tuis hæc limina Ludi
sacrâsti. tua sancta fuit, fuit estq; voluntas,
his tectis formare tibi gratissima Vasa,
Templis immittenda tuis; queis Curia quondam
utatur, priva q; Domus sibi semina poscant.
Hactenus & factum est. non tot Pater ipse Noabus
ex arcâ eduxit terrisq; animalia misit,
atq; hæc ex nostrâ venere in secula Docti.
in laudem cultumq; tui patriæq; salutem.

Ah serva, Pater alme, tui tot commoda Ludi!
nec permitte alijs, carum qui sanguinis illud
effusi precium Filii pede præpete calcant;
immò pedis nudi scabiem, soleasq; cucullumq;
illi ipsi lytro divini sanguinis æquant.

An Tu, Sancte DEUS, nostri Patrone Lycei
 unice, permittes, hæc ut Tibi tecta sacrata,
 invadant illi? TE, VERBUM & quaslibet artes
 expellant? illis Tu cedas? Teq; Tuumq;
 excutiant illi NATUM? Sanctissime, o absit!
 Sed Tu, summe Pater, regis omnia. Solus in orbe
 justus & in terris solus Tute omnia nosti.
 Nos meriti; si quid permiseris. Agnita non sunt,
 quod querimus, divina tui donaria Ludi,
 agnita non, inquam, à multis. Tamen, optime JOVA,
 ne nos propterea puni; sed respice partem,
 quam solus nosti, meliorem, atq; inclita serva,
 dona Urbis, Scholicisq; suum da robur amicis,
 & scopulos vitare malos, & flectere cursum
 ad portus melioris iter, patrieq; salutem!
 Ignarum fucos pecus à præsepibus Arce
 nostratis tu pelle procul. Tu redde quietem,
 Tu pacem. Rege CÆSAREUM venerabile pectus,
 libera Germano jura indulgere popello,
 ut, quam acceptavit CAROLI sanctissima dextra,
 hoc anno, centum ante annos, CONFESSIO Sacra
 sit FERDINANDI auspicijs liberrima nobis!
 Pax CAROLI; FERDINANDI pax inclita PRIMI,
 et FERDINANDI velis eat ipsa SECUNDIS!
 Parce pio generi! nec mors grassetur in urbe
 amplius, ut nuper. Scholicas tueare columnas,
 ne ruat, & querulum ploret sua damna Lyceum!

SUMMATIM, Pater æthereæ sanctissime sedis,

quod

quod Tu fundasti quondam hanc in sede Lyceum,
FUNDATUM hoc commendo Tibi. Tua dextera servet!

Sic Te post annum servati & pluribus annis,
hac Cathedra, his tectis grato celebrabimus ore;
& CARMEN GRADUALE tibi CHORUS ALTI-
OR olim,
accinet & meritam dicet, per SECLA, LAUDEM!

D I X I.



Handwritten text, likely a title page or preface, containing the title "GARMEN GRADUALE" and other details. The text is mirrored across the page.

D I K I



Et sic dicitur in
omni die **Et** dominus precepit eis
via **Et** dominus precepit eis

Et sic dicitur in
omni die **Et** dominus precepit eis
omne pa

Et sic dicitur in
omni die **Et** dominus precepit eis
omne pa

Et sic dicitur in
omni die **Et** dominus precepit eis
omne pa



FUNDATION
 SCHOLAE
 QUAE EST IN LIBRARIIS
FESTIVITAS
 QUAE
 NEC VANITATE
 An omnia & singula
 riuntur, in arcâ
 A
 GYMNASII
 in utraque
 GEORG. ANDRI
 Poeta C
 è fundamentis Theolog
 Historicis varie
 ANNIVERSARI
 ANNO JUB
 MULHUS



2

